

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXXXVI. Continens Historiam In Qua Christus Discipulos Instituire
Incipit De Futura Sua Passione, Et Hortatur Ad Suscipiendam Crucem,
Matth. 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. & Luc. 9. v. 22.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

circumspiciat, quibus rationibus quisque moveri possit, ut pro diversitate ingeniorum, alios quidem leniore institutione, alios vero acriori correptione Christo lucrificiat. Et hoc etiam requirit Christus, quando Matth. 24. v. 45. vult, ut fi-

delis & prudens servus familiæ cibum det in tempore. Sic Paulus alios quosdam auditores mitius, alios severius tractavit, prout intellexit, unumquemque in doctrina fidei instituit, retineri & corroborari posse.

CAPUT LXXXVI.

CONTINENS HISTORIAM IN QVA CHRISTUS DISCIPULOS INSTITUERE INCIPIT DE FUTURA SUA PASSIONE, ET HORTATUR AD SUSCIPIENDAM CRUCEM, MATTH. 16. v. 21.

MARC. 8. v. 31. & LUC. 9. v. 22.

RATIO ORDINIS.

Manc concionem Christi præcedens colloquium cum Apostolis immediate sequi, omnes tres Evangelistæ unanimi consensu testantur. Ita enim præcedentibus hæc connectunt, ut ab aliquibus intra complexum unius capituli assumantur. Quos nos secuti essemus, nisi Matthæus & Marcus diserte testarentur, Christum hic *cepisse* de passione & morte sua docere. Et quia hoc principium notatione dignum est, peculiari etiam capite hunc locum merito dignati sumus. *Capit autem docere & hunc sermonem loqui periphrasice aperte sive palam.* Quia ante hæc tempora recte latenter passionem & resurrectionem quoque insinuarat. Joan. 2. v. 19. Destruite templum hoc, & in trib. diebus excitabo illud. Ioan. 3. v. 14. Sicut Moyses in deserto exaltavit serpentem: ita exaltari oportet filium hominis. Ioan. 6. v. 51. Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Matt. 12. v. 10. Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus dieb. & tribus noctibus. Quod ipsum repetitur à Christo. Matth. 16. v. 4. Hæc vero quasi ænigmatica erant. Jam vero disertis verbis passionem per Circumstantias discipulis aperit.

Utilis autem est observatio, si attendatur, qua ratione hæc sequentia membra cum præcedenti doctrina cohæreant. Est enim ordo pulcherrimus. Petrus splendidam ediderat Confessionem, tam de persona, quam de officio Christi. Ratione personæ dixerat, esse eum Deum & hominem: ratione officii dixerat, esse ipsum Messiam, id est, regem & Sacerdotem, suos subditos redimentem, vivificantem & sanctificantem. Hisce jam subjungit ipse Christus concionem de passione sua & morte, ostendens, fidem non debere tantum in genere credere Christum esse redemptorem, propitiatorem & vivificantem: sed hoc potissimum pertinet ad fidem justificantem, ut sciat & statuat, quomodo & qua ratione Christus, sit redemptor propitiator & vita, per mortem scilicet & passionem suam. Et hoc mem-

brum adeo est necessarium, ut discipulis, cum illud non recte tenerent, interdicit, ne de præcedente confessione quicquam prædicent. Ut recte Origenes dixerit: Inutile est Jesum prædicare, & crucem tacere. Et quidem Petrum, qui à priorie confessione non recedebat, cum articulum passionis Christi (ut audiemus) repudiaret, licet bona hoc fecerit intentione: tamen non beatum pronuntiat, sed *Satanam* appellat, & à se repellit, si perseveret. Eadem ratione etiam illud, quod dixit, *Beatus es Simon*, explicat: idque non solis Apostolis, sed *convocata turba*, ut sciamus, hanc doctrinam non ad solos Apostolos, sed ad omnes, qui Christum sequuntur, pertinere. In ejus ergo præsentia diserte 1. de abnegatione sui. 2. de tolerantia crucis. 3. de sequela Christi. Novum autem nomen *crucis* afflictionibus Ecclesiæ imponit, multas ob causas, ut exponemus. Maxime, ut indicet crucem immixtam non esse signum iræ divinæ, sed iudicium salutis Phil. 1. v. 28. Et quod fiat sacrificium Deo placens, si feratur in fide crucis Christi, sicut Origenes dicit. Imo, Christus in illis adversitatibus nos juvat: ita ut ipse quidem graviores & ponderosiores, nos autem cum Simone Cyrenæo leviores partem crucis feramus. Matth. 27. v. 32. Ne vero videretur Christus suis, quos statim, ubi beatos eos pronuntiavit, cruce onerat, illudere, exponit ejus causam: quod scilicet hæc sit via ad veram & æternam vitam, & mentionem subjicit gloriosi sui adventus ad iudicium, ut ostendat, beatitudinem, de qua Evangelium concionatur, non sitam esse in delictis & commoditatibus hujus vitæ: sed pertinere ad futurum seculum. Ibi enim vita nostra manifestabitur. Col. 3. v. 4. Non ergo ludunt operam, qui propter confessionem nominis Christi hujus vitæ commoditatibus renuntiant. Addit denique futurum, ut mox quibusdam ex Apostolis in hac vita gustus quidam gloriæ regni Christi ostendatur. Sicuti hæc omnia pluribus audiemus.

CHRISTUS INCIPIT CONCIONARI DE SUA PASSIONE, SUOSQUE AD CRUCIS TOLERANTIAM HORTATUR. MATTH. 16.

21. Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱερουσόλυμα, καὶ

21. Ex eo tempore cepit Jesus indicare discipulis suis, quod oporteret ipsum abire Hierosolymam, &

milta

πολλά παθεῖν ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ὑποκλιθῆναι αὐτὸν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐξεζηγήναι.

- 22. Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν Πέτρος, ἤρξατο θημιαν αὐτῷ λέγων, ἰλεως σοι κυριε, καὶ μὴ ἕσται σοι τὸ ὄνομα.
- 23. Ὁ Ἰσραηλῆς εἶπε τῷ Πέτρῳ, ὕπαγε ὀπίσω με σατανά, σατανά δὲ λέγει, ὅτι ἐφρονεῖς τὰ θεῶν, ἀλλὰ τὰ ἄνθρωπων.
- 24. Τότε ὁ Ἰησοῦς εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτῶν, εἴ τις θέλει ὀπίσω με εἰσελθεῖν, ἀπαρνησάτω ἑαυτὸν, καὶ ἀκολουθήτω μοι.
- 25. ὅς ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σώσει, ἀπολέσῃ δὲ αὐτὴν ἕνεκα τοῦ σώσαι αὐτήν.
- 26. Τί γὰρ ὠφελεία ἄνθρωπον, εἰὰν κέρσωλον κερδήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῆναι, ἢ ἡ δόξα ἄνθρωπου ἀλλάγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;
- 27. Μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ ἀγγέλων αὐτοῦ. Καὶ τότε ἀποδώσει ἕκάστῳ ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ.
- 28. Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, εἰσὶ ἄνθρωποι ὅδε ἐστηκότων, οἵτινες ἐμὴ γούσονται θανάτου, ἕως ἀνιδῶσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.

Et multa pati à Senioribus & principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertiadie resuscitari.

- 22. Et cum abduxisset eum Petrus, cepit illum increpare, dicens : Propitius tibi sis Domine, nequaquam erit tibi hoc.
- 23. At ille conversus dixit Petro : Abi post me Satana, obstatulo es mihi, quia non sapis ea, quae sunt Dei, sed ea quae sunt hominum.
- 24. Tunc Iesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.
- 25. Qui enim voluerit animam suam servare, perdet eam. Qui vero perdidit animam suam mea causa, inveniet eam.
- 26. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit; anime vero suae jacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cujus permutatione redimat animam suam?
- 27. Futurum est enim, ut filius hominis veniat in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique juxta facta ipsius.
- 28. Amen dico vobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in regno suo.

MARC. 8.

- 31. Καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν ἀνθρώπου πολλά παθεῖν καὶ ἀποδοκιμαθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ἀρχιερέων, καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκταθῆναι, καὶ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι. Καὶ παρήγορε τὸν λαὸν ἐλάλει.
- 32. Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, ἤρξατο θημιαν αὐτῷ λέγων, ἰλεως σοι κυριε, καὶ μὴ ἕσται σοι τὸ ὄνομα.
- 33. Ὁ Ἰσραηλῆς καὶ ἰδὼν τὰς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπιτίμησε τῷ Πέτρῳ λέγων, ὕπαγε ὀπίσω με σατανά, ὅτι ἐφρονεῖς τὰ θεῶν, ἀλλὰ τὰ ἄνθρωπων.
- 34. Καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον συν τῶν μαθηταῖς αὐτοῦ εἶπεν αὐτοῖς, ὅτις θέλει ὀπίσω με ἀκολουθεῖν, ἀπαρνησάτω ἑαυτὸν καὶ ἀρατω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθήτω μοι.
- 35. ὅς ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σώσει, ἀπολέσῃ δὲ αὐτήν ἕνεκα τοῦ σώσαι αὐτήν.
- 36. Τί γὰρ ὠφελεία ἄνθρωπον, εἰὰν κέρσωλον κερδήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῆναι, ἢ ἡ δόξα ἄνθρωπου ἀλλάγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;
- 37. ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;
- 38. ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ ἀγγέλων αὐτοῦ.
- 39. Καὶ εἰπὼν αὐτοῖς, Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἰσὶ ἄνθρωποι ὅδε ἐστηκότων, οἵτινες ἐμὴ γούσονται θανάτου, ἕως ἀνιδῶσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.

- 31. Et cepit docere eos, quod oporteret filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus summisq; Sacerdotibus ac Scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. Et aperte sermonem loquebatur.
- 32. Et apprehendit illum Petrus, cepitq; increpare eum.
- 33. At ille conversus & intuitus discipulos suos increpavit Petrum dicens : Abi post me Satana, quoniam non sapis, quae Dei sunt, sed quae sunt hominum.
- 34. Et cum ad se vocasset turbam una cum discipulis suis, dixit illis : Quicumque vult sequi me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.
- 35. Nam quisquis voluerit animam suam servare, perdet eam : Quisquis autem perdidit animam suam causa mea & Evangelii, hic servabit eam.
- 36. Quid enim profuerit homini, si lucratus fuerit mundum totum, & anime suae jacturam fecerit?
- 37. Aut quid daturus est homo, quo repenset animam suam?
- 38. Quemcumq; enim puduerit mei ac meorum sermonum, in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, ubi venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.
- 39. Et dicebat ipsis : Amen dico vobis, sunt quidam inter eos, qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei venisse cum virtute.

LUC. 9.

- 22. Εἰσῶν, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλά παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμαθῆναι ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ἀρχιερέων, καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκταθῆναι, καὶ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι.

- 22. Dicens : oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertiadie resuscitari.



- 23. ἔλεγε ἡ σαρὰ πάντας, εἰ τις θέλει ὀπίσω μὲ ἐλθεῖν, ἀπορησάτω ἑαυτὸν καὶ δεῖται τὸ σταυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν, καὶ ἀκολουθεῖτω μοι.
- 24. ὅς γὰρ ἀνὴρ θέλη τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σώσει, ἀπολέσθαι αὐτὸν, ὅς ἡ ἀπολῆσι τὴν ψυχὴν αὐτὴ ἐνεκεν ἐμοῦ, καὶ σώσει αὐτήν.
- 25. Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, ἐκερδήσας τὸ κόσμον ὅλον, ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας, ἢ ζημιωθείς;
- 26. ὅς γὰρ ἀνὴρ ἐπαρχυθῆ μετὰ τὰς ἐμὰς λόγους, τὸν υἱὸς ἔσται ἀνθρώπου ἐπαρχυθήσεται, ὅταν ἐλθῇ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ ἔσται πατὴρ καὶ τῶν ἀγγέλων.
- 27. Λέγω ἡμῖν ἀληθῶς, εἰσίν τινες ἃδε ἐσηκότες, οἳ καὶ μὴ γινώσκουσιν τὴν ἡμέραν, ἕως οὗ ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

- 23. Dicebat autem ad omnes: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.
- 24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Qui vero perdidit animam suam propter me, is salvam faciet illam.
- 25. Quid enim proficit homo, si lucratur universum mundum, se autem ipsum perdat, aut jacuram sui ipsius faciat?
- 26. Nam quem mei meorumque, sermonem puduerit, huius & filium hominis pudebit, cum venerit in maiestate sua, & patris, sanctorumque Angelorum.
- 27. Dico autem vobis vere, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

HARMONIA HUIUS CONCIONIS EX TRIBUS EVANGELISTIS ORDINE COLLECTA.

a Ἀπὸ τότε ἐῆρξατο αὐτὸν ἰησοῦς δεῖκναι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, b καὶ διδάσκειν αὐτοὺς, c εἰπὼν· Ἰὼν δεῖ αὐτὸν τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀπελθεῖν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ ἰ πολλὰ παθεῖν, ἠ καὶ ἀποδοκιμασθῆναι, ἠ δὲ τὸ πρῶτον καὶ δεξιέρων καὶ γραμματέων καὶ ἀποκριτῶν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐξεθῆναι. b καὶ περιήσει τὸν λόγον ἐλάλει. c καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν πατέρα, ἠρξατο ἰππιδεῖν αὐτὰ, a λέγων, ἰλαῶς σοι κύριε, ἢ μὴ ἔσαι σοι τὸ β. c ὁ ἴππιδεσθαι, b καὶ ἰδὼν τὸς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπιμαρτυροῦσεν αὐτοῖς, λέγων, ὑπάρχει ὀπίσω μὲ σταυρὸς, a σκάνδαλον μὲ εἶ, c οἳ μὴ φρονεῖτε τὰς ἑσθῆς, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. b καὶ αὐτὸς ἰησοῦς προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς, τίς μαθητὰς αὐτοῦ, ἠ ἔλεγε ἡ σαρὰ πάντας, εἰ τις θέλει ὀπίσω μὲ ἐλθεῖν, ἀπορησάτω ἑαυτὸν καὶ δεῖται τὸ σταυρὸν αὐτοῦ c καθ' ἡμέραν, καὶ ἀκολουθεῖτω μοι. ὅς γὰρ ἀνὴρ θέλη τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σώσει, ἀπολέσθαι αὐτὸν, ὅς ἡ ἀπολῆσι τὴν ψυχὴν αὐτὴ, ἐνεκεν ἐμοῦ, b καὶ ἔσται πατὴρ, ἠ ἔσται πατὴρ καὶ τῶν ἀγγέλων, ἠ ἔσται πατὴρ καὶ τῶν ἀγγέλων. a μελλεῖ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ καὶ πατὴρ αὐτοῦ μὲ ἔσται ἀγγέλων αὐτοῦ. καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πράξιν αὐτοῦ. b καὶ ἔλεγε αὐτοῖς, c ἀμὲν λέγω ἡμῖν ἀληθῶς, εἰσίν τινες ἃδε ἐσηκότες, οἳ καὶ μὴ γινώσκουσιν τὴν ἡμέραν, ἕως οὗ ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. ἠ ἔσται ἡμερᾶς ἐν ἡμέρᾳ αὐτῆς.

a Ex eo tempore et cepit a Iesus indicare discipulis suis, b & docere eos, c dicens: I quod oportet ipsum filium hominis a bire Hierosolymam, & ἰ multa pati, h & reprobari a senioribus, & principibus sacerdotum & scribis, & occidi, & tertia die resuscitari. b Et aperte sermonem loquebatur, c Et cum abduxisset eum Petrus, cepit illum increpare, a dicens: Propitius tibi sis Domine, nequaquam tibi erit hoc. c At ille conversus, b & intulit discipulos suos, increpavit e Petrum dicens: Abi post me Satana, a obstaculo es mihi, c quia non scis ea que sunt Dei, sed ea que sunt hominum. b Et a tunc Iesus, b cum ad se vocasset turbam una cum discipulis suis, dixit illis, discipulis suis. ἠ Dicebat autem ad omnes. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam c quotidie, ἠ & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Qui vero perdidit animam suam causa mea b & Evangelii, ἠ hic inveniet & servabit eam. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, anime vero sue jacuram fecerit? c Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? h Quemcumque enim puduerit mei ac meorum sermonum b in generatione hac adulent & peccatrice, h pudebit illius & filium hominis, ubi venerit in gloria c sua, & h patris b sui, c sanctorumque Angelorum. a Futurum est enim, ut filius hominis veniat in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum facta ipsius. b Et dicebat illis. c Amen I dico autem vobis c vere. ἠ Sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint h regnum Dei b venisse cum virtute (&) a filium hominis vententem in regno suo.

Periocha huius Concionis.

Inter omnes vere credentes in confesso est, principum partem operis Redemptionis nostræ consistere in passione, morte & resurrectione Servatoris nostri Iesu Christi. Cum ergo hic primus locus sit, in quo Servator noster aperte de his concionari incipit, merito attente is est considerandus. Est

Est enim illud generaliter adhuc facit, nec dum species passionum suarum exprimat: tamen hic locus cum reliquis sequentibus collatus, totam doctrinam illam mirifice illustrat. Observavit enim Christus Jesus etiam in hoc doctrinæ generaliore exorsi, gradatim ad specialia progredimur. Neque mihi supervacanea videtur notatio Origenis, qua urget Emphasin verbi *δεικνύειν*, quo Mathæus utitur. Nam quando is dicit, *capit Jesus, δεικνύειν, ostendere discipulis suis*, tum verba illa quasi titulus sunt, tum eorum, quæ hic de passione Christi dicuntur, tum illorum, quæ postea sequuntur. Nam ita diserte, clare, & aperte ipsis singula de passione sua prædixit, ut quasi oculis objecta monstravit. *δεικνύειν* enim, Varino teste idem est quod *φαίνω, ἐπισημαίνω, δηλώνω, σημαίνω*. Et in veteri Testamento LXX. Interpretes sæpe hoc vocabulo uti sunt, quando Deus hominibus rem aliquam ita dilucide manifestavit, ut quasi ob oculos picta fuerit. Sic Genes. 41. v. 25. dicit Josephus, Deum Pharaoni in somniis ostendisse, quid facturus sit. David etiam 2. Sam. 15. v. 25. dicit: Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi arcam & tabernaculum suum. 2. Reg. 8. vers. 13. dicit Propheta Elisæus, Deum sibi ostendisse, quod Haisael futurus sit rex Syriæ. Cum ergo hic conjungantur duo vocabula, quod Christus cœperit docere & ostendere, quod multa passurus sit, citra omne dubium innuit, Christum tanta *αυθεντία* & perspicuitate hanc doctrinam proposuisse, non aliter ac si discipuli coram id fieri cernerent. Eadem ergo diligentia fideles verbi ministri hunc articulum de passione & morte Servatoris coram suis auditoribus tractare debent. Sicuti Paulus de se testatur, quod Christum Galatis suis adeo perspicue prædicavit, ut ante oculos eorum quasi depictus, & inter ipsos crucifixus fuerit. Galat. 3. v. 1. Nam & inter Corinthios nihil se scire judicavit, quam Jesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Corinth. 2. v. 2. Circumstantias ergo hujus loci diligenter excutimus.

Primo indicat, *Quis*, sit passurus. Nominat enim se ipsum filium hominis, quem Petrus modo vivi Dei filium esse confessus fuerat. Hæc ergo persona, quæ est Deus & homo, pro nobis passa est. Quia enim homo peccaverat, utique etiam homo *λόγον* peccati exsolvere tenebatur. Impossibile enim fuit sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Hebr. 10. v. 4. Humano sanguine rursus litandum fuit. Non eo modo, quo barbaræ quædam gentes homines quosdam reliquorum loco pro piaculis ordinarunt, & superstitione magna cum crudelitate postea macerant: Sed quem Deus prædixit. Venit ergo promissum semen mulieris: huic Dominus imposuit omnium nostrum iniquitatem: Jes. 53. v. 6. & ipsum Deus pro nobis peccatum sive victimam pro peccato fecit. 2. Corinth. 5. v. 21. Jure autem suo potuit nostram causam in se recipere, quia est consanguineus noster, atque sic Goel noster, Job. 19. v. 25. seu vindex sanguinis factus. Sicut hoc in lege elegantibus aliquot typis præfiguratum fuit, Levit. 25. vers. 25. in eo, qui possessionem sui consanguinei, qui ad egestatem redactus fuerat, redimere poterat. Sic

Adamus possessionem Paradisi per intemperantiam perdidit: Christus consanguineus æternam hæreditatem nobis redemit, Numer. 35. v. 19. In propinquo occisi, qui homicidam occidere poterat, ubi eum apprehendisset. Diabolus fuit latro, qui Adamum cum posteris neci dedit: Christus Goel noster nos vindicat, & Diabolum vicissim in æternam mortem præcipitat. Deut. 25. v. 5. In fratre superstite, qui fratri sine liberis defuncto semen suscitare debebat. Adamus, qui Dei erat Luc. 3. v. 38. peccato mortuus est, nec Deo liberis genuit: Christus ergo vicissim mortuus est, ut nos vivificaret, atque sic semen fratri defuncto resuscitaret. Si enim in unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabimus per unum Jesum Christum. Rom. 5. v. 17. Hoc tamen opus redemptionis peregit non *υἱὸς ἀνθρώπου*, nudus homo. Tali enim impossibile fuisset immensum onus peccati portare, infinitam Dei iram extinguere, mortem abolere, Diabolum superare, infernum desolari, & æternam justitiam cum vita beata reducere. Æternus ergo Dei filius, homo natus, passus est in carne, atque sic factus est Jehova justitia nostra, Jerem. 23. vers. 6. & 33. v. 16. Passio ergo hujus personæ non est saltem hominis passio, sive ille rex sive Cæsar æstimetur, sed ipsius Dei. Deus enim suo sanguine sibi Ecclesiam acquisivit, Act. 20. v. 28. Et quod hæc persona patiens non minus verus Deus quam verus homo fuerit, illud in ipsa passione multis miraculis comprobavit. Pontificum satellites ad unicum ejus verbum, tanquam fulmine icti, concidunt: aurem Malchi abscissam tactu restituit: terram movit: sepulcra aperuit, aliaque ejusmodi miracula edidit, ex quibus Centurio homo gentilis agnovit, vere ipsum filium Dei esse. Marc. 15. vers. 39. Et quia hæc persona patiens fuit Deus & homo, ideo etiam pretium sanguinis ipsius peccatis mundi, non tantum est æquivalens, sed etiam superabundans.

2. *Quid* sit passus filius hominis. In hac circumstantia tribus utitur vocabulis. 1. Oportet filium hominis *reprobari*. Desumptum hoc est ex Psal. 118. v. 22. & per pulcre quadrat ad præcedentem historiam. In ea Christus confessionem Petri de sua persona & officio vocavit lapidem seu petram, super quam ædificaturus sit ipse Christus suam Ecclesiam. Et revera Jesus Christus fuit lapis ille probatus, angularis, pretiosus, quem Deus posuit in fundamentis Sion. Ies. 28. v. 16. Hunc lapidem ab omnibus honorandum existimarunt Apostoli, sicut & postea id scripsit Petrus 1. Epist. capit. 2. v. 7. Et hæc de causa idem Petrus hic indigne fert, quod Christus de sua morte vaticinatur. Sed Deus jam ante per os Davidis prædixerat, futurum, ut hic lapis ab ædificantibus *reprobetur*. Ad istud vaticinium Christus hic respicit, & in se adimplendum esse testatur. Sicut & Petrus postea illud agnovit. Non autem tantum reprobari oportebat filium hominis, sed etiam *multa pati*. Vere multa passus est Christus nostri causa tam interius, quam exterius. In corpore multa passus est: quia tanquam facinorosus captus, vinculis constrictus, a nefariis Pontificum servulis consputus, colaphizatus, a militibus prophanis virgis

virgis

Virgis cæsus, spinis coronatus, in cruce suffixus, felle & aceto potatus, ac tandem lancea perfossus est. In anima quoque multa passus est; quia à domestico discipulo proditus, in Consilio tanquam schismaticus examinatus & condemnatus, coram Præside Romano affectati regni & motæ seditionis accusatus, ab Herode delusus, Barrabæ latroni & seditioso postpositus, in cruce ceu seductor traductus, atque omnis generis contumeliis & opprobriis obrutus est. Adeo ut hæc omnia spiritu præcognoscens Apostolis dixerit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et in cruce tandem exclamarit: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Hæc omnia tam dira & tam multa passa est illa persona, quæ est Deus & homo. Etsi enim divinitas in sese & per sese pati non possit, ac proinde Veteres recte dixerint, Christum passum esse quiescente *λογος*: non tamen statuendum est, Deum ab hac passione fuisse immunem. Nam revera, quando Judæi Christum irridentes clamaverunt: Si es filius Dei, descende de cruce, tum hæc ignominia redundavit in ipsam divinitatem *τὸ λόγος*. Sed *ὁ λόγος* quiescit, vires suas non exseruit: quia tam profunde se exinanierat, ut ne angelicis quidem linguis hoc mysterium enarrari possit.

3. Denique oportuit etiam filium hominis occidi. Etsi enim vita ipsa per vim occidi nequeat, & ipse Christus solus potestatem habuerit ponendi animam suam, Joan. 10. v. 18, tanta tamen fuit truculentia & virulentia hostium Jesu, ut merito ipsi eum occidisse dicantur. Sicuti Petrus & Joannes hoc Judæorum Pontificibus objiciunt: auctorem vitæ interfecistis, Act. 3. v. 15.

3. Tertia circumstantia est, ubi sit passurus. *oportet abire Hierosolymam.* Hierosolyma tum temporis fuit caput gentis Judaicæ & sedes divini cultus. In hac ergo urbe filius Dei immolari voluit, ut sic typi & umbræ Veteris Testamenti implerentur. Hæc urbs initio dicta fuit Salem. Postea cum Gen. 22. v. 8. Abrahamus filio Isaac, de victima in monte offerenda, diceret *יהוה מלך* Dominus providebit, ex eo dicto auctum est nomen loci, & pro Salem dictus *Jerusalem*. Et quia Isaacus fuit typus immolandi filii Dei, ipse quoque ibidem loci victima pro humano genere fieri voluit. Postea quoque omnia sacrificia, tam publica quam privata, nullibi præterquam *Hierosolymis* offerre licebat. Quoniam Dominus elegit Sion: elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies ipsius in seculum seculi, hic habitare voluit, quia elegerat eam sibi, Psalm. 132. v. 13. Postea vero civitas hæc degeneravit, & cæde Prophetarum atque reliquorum fidelium Dei servorum nobilitata est. Ideo debebat mensuram peccatorum suorum implere etiam indigna cæde filii Dei, ut omnis justus sanguis super ipsos veniret, qui effusus est à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, Matth. 23. v. 35. Denique etiam in illa urbe, in qua quotannis Judæi ter ex universo orbe conveniebant, mori voluit, ut mors ipsius eo citius & facilius per totum terrarum orbem divulgaretur. Sicut etiam Cosmographi *Hierosolymam* eum in terris locum occupare statuunt, qui quasi medius est in toto habitabili orbe. Si vero hæc urbs, quæ vulgo civitas sancta dicebatur, Matth. 27. v. 53. & à Christo Matth. 5. v. 35. nominatur civitas

magni Regis, nimirum ipsius DEI, quæ denique vetustate, potentia, victoriis, divini cultus & religionis majestate nulli urbi in toto terrarum orbe cessit, ita degeneravit, ut ob Prophetarum & ipsius filii Dei cædem æternum excidium cum perpetua nominis infamia meruerit: quanta quæso stultitia est, religionem & æternam salutem certo alicui loco vel urbi (qualis Roma est) alligare velle? Cum tamen Roma Hierosolymam nulla alia in re felicius imitata sit, quam quod & ipsa sanguine Apostolorum, Petri & Pauli, atque innumerorum Martyrum maduit, confimili denique cum Hierosolymitanis impietate Christi honorem & doctrinam persequitur.

4. Quarta Circumstantia est, à quibus Christus sit passurus. Nominat autem hic tres ordines.

1. *Seniores*, per quos intelligere possumus eos, qui auctoritate sua Rempubl. Judæorum gubernabant, & non tam ratione annorum, quam auctoritatis *Seniores* dicebantur.

2. *Pontifices & Antistites* sacrorum. Licet enim videbant Jesum facere signa, qualia nemo hominum poterat: invidia tamen eorum oculos occæcarat, ut quia stantebant Christum ipsorum quæstui officere, illum è medio tollendum statuerent.

3. *Scribas*. Hi cum Phariseis sibi præ aliis legis scientiam arrogabant, & propterea apud populum sanctitatis & eruditionis existimationem maximam sustinebant. His tribus ordinibus passim in Evangelio tribuitur, quod Christum ad crucem & mortem adegerint: non quod hi soli passionis Christi rei fuerint, sed quod negotii totius Duces fuerint. Vere quidem & proprie loquendo Christus passus, & ad mortem adactus est ab omnibus hominibus: quia omnes homines peccatores sunt, & causa mortis Christi: Sed tum temporis, cum Christus in his terris ageret, isti tres ordines Judæorum auctores fuerunt necis Christi. Nam ipsi extremo odio Jesum persecuti sunt: ipsi Judam conduxerunt, ut eum proderet: ipsi ministros miserunt, qui eum caperent: ipsi in Concilio falsos testes subornarunt, ut condemnare eum possent: ipsi eum illudendum servulis tradiderunt: ipsi coram Romano Præside eum seditionis accusarunt: ipsi populo persuaserunt, ut rejecto Jesu Barrabam latronem eligerent: ipsi insanis suis clamoribus Pilatum adegerunt, ut in vitis capitalem sententiam in ipsum ferret. Recte ergo hic ipsis tribuitur, quod passionis & mortis Christi auctores fuerint. Hisce enim architectis, qui pretiosum illum lapidem reprobarunt, Psalm. 118. v. 22. merito acceptum refertur, quicquid etiam alii fecerunt.

5. Considerandum etiam *cur* passus fuerit. Hæc vero Circumstantia latet in verbo *oportet*. Quod non ita accipi debet, quasi ipse nolens & in vitis, aut ab hostibus suis vi coactus ista tulerit. Nam oblati est, quia ipse voluit, *Jes. 53. v. 7.* Et ipse dixit *Joan. 10. vers. 18.* Nemo tollit animam meam à me: Sed ego pono eam à me ipso. Totam quoque Evangelicam historiam testatur, passionem ipsius fuisse voluntariam. Volens & sponte profectus est Hierosolymam, cum nihil eorum ignoraret, quæ ipsi obventura essent: sponte & volens exivit in hortum, in quo se capiendum sciebat, neque ullis Apostolorum armis defendi voluit. Ergo *oportuit pati*, non ob vim hostilem, sed ob decretum

decretum aeterni patris, ob Scripturarum predicationem, ob salutem humani generis. Et ex eo ineffabilem Christi amorem erga nos agnoscamus. De quo ipse loquitur Ioan. 1. v. 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Christus autem, cum adhuc inimici & peccatores essemus pro nobis, mortuus est, Rom. 5. v. 8. Deus initio hominem crearat ad suam imaginem, rectum, iustum, piū, & qui principatum inter omnes creaturas tenere debeat. In quo statui permansisset, Deus sine mortis acerbitate ipsum in caelum; aeterna beatitate fructurum, transulisset. Sed postquam Adamus praeceptum Dei ex inobedientia transgressus est, incidit in iram Dei. quae est ignis consumens, Deuter. 4. v. 24. atque sic anima & corpore perit. Nec potuit homo seipsum ex interitu erigere: quia intellectus. voluntas atque reliquae vires omnes depravataerant, adeo, ut homo naturaliter vivus, spiritualiter tamen mortuus, & ita corruptus sit, ut coram Deo vivum cadaver aestimetur. Quia tamen homo non sponte sua se à Deo averterat, sed à Diabolo seductus peccarat: Deus ex immensa misericordia ipsius miseratus est: ita tamen, ut iustitia suae exactissima simul satisficeret. Hoc ergo mirabile temperamentum inter iustitiam & misericordiam in arcano divinitatis consilio invenit, ut aeternus Dei filius homo factus, iustus pro peccatoribus pateretur & moreretur: atque sic districta Dei iustitia pro miseris mortalibus satisficeret; quo omnes, qui fiduciam suam in ipsum collocarent, propter ipsum remissionem peccatorum consequerentur. Hoc est illud oportet filium hominis pati: ut nimirum ipsius livore sanemur, Ier. 53. v. 5. Venit enim filius hominis ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis, Matth. 20. v. 28. Et propter delicta nostra traditus est, Rom. 4. v. 25. Hic enim est fidus ille sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, 1. Tim. 1. v. 15.

6. Ad temporis Circumstantiam referri potest, quod addit: *tertia die resuscitari*. Resurrectionis mentionem facit, ut discipulorum animos communiat adversus scandalum crucis. Nec debet Resurrectionis Articulus ab Articulo Passionis uspiam separari. Sicut enim ignominiosa sua morte peccata nostra expiavit: ita gloriosa sua Resurrectione poenam peccati, Mortem, sustulit. Et nunc instar victoriosi Regis devictis omnibus & suis & nostris hostibus, peccato, morte, Diabolo, inferno triumphans sedet in caelis ad dexteram Patris, & nobis quoque mansionem ibi paravit, ut eo transferamur, quando ipso rediit iudex vivorum & mortuorum. Et licet nobis adhuc moriendum sit; Mors tamen non amplius est poena peccati. Quia Christus resurrectione sua eam exarmavit, & stimulo suo privavit, 1. Corinth. 15. v. 56. Sed est felix transitus ex hac lacrymarum valle in vitam aeternam. Quod autem resurrectio non ultra tertium diem differtur, facit ad nostri consolationem: quod crucis professio non sit futura diuturna. Sed sicut mors Christum triduum integrum detinere non potuit: ita qui firma fide super invictam hanc petram, Jesum Christum, extructi sunt, eos nulla adversaria vis destruere

aut evertere poterit. Vivit Christus, & nos vivemus, Joan. 14. v. 19. Regnat Christus, & nos regnabimus, 2. Tim. 2. v. 12. Vivificabit enim nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus, Os. 6. v. 3.

Hic vero incidit Grammatica quaestio, quam paucis attingam, ut juniores in exemplis conspiciant usum linguarum, & quam necessarium sit, ut studium linguarum in Academiis conservetur. Ubi enim Matthaeus dicit, oportet filium hominis *tertia die resuscitari*: ibi Marcus ponit, *μὲν τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι, post tres dies resurgere*. Hic varie fetorquent Interpretes, quare Marcus dixerit *post tres*, maxime quia historia resurrectionis ostendit, non posse illam ultra tertium diem extendi. Plerique igitur ponunt Synecdochen: sed haec scrupulum non movet. Defensu enim non est dubium, quem non tantum Matthaeus & Lucas diserte ponunt, sed etiam Joannes cap. 2. v. 19. *ἐν τρεῖς ἡμέραις*, tribus diebus. Quin & ipsi Pharisei hanc phrasin aliter non intellexerunt. Nam cum Matth. 27. v. 63. à Pilato sepulcrum custodi dari peterent, quia ipse superstes dixerit, *μὲν τρεῖς ἡμέρας ἐγείρωμαι*: tamen saltem *ἕως τῆς τετάρτης ἡμέρας*, usque in tertium diem sepulcrum custodia muniri petierunt. Ergo judicaverunt ipsum intra triduum, non autem post triduum, resurrecturum. Quaestio itaque est non de sensu, sed de phrasi: an nimirum *μὲν* tantum *post*, & non aliud significet. Et Stapulensis quidem adducit exemplum, quod *μὲν χεῖρας ἔχων*, ponatur pro *ἐν χερσὶ*, & significet, in manibus habere. Sed hoc non quadrare videtur, quia exempla de tempore quaruntur, in quibus *μὲν* non *post* sed *intra* significat, & non consequens, sed interjectum, & adhuc vigens tempus denotat. Invenitur autem tale exemplum, Deuter. 14. v. 28. *μὲν τρεῖς ἔτη*, ubi non post tres annos, sed quovis tertio anno significat, in quo peculiaris decima fuit colligenda. Sicut hoc patet ex loco Deuter. 26. v. 12. ubi explicatius dicitur *ἐν τῷ ἔτῳ τῷ τετάρτῳ* anno tertio. Convenit ergo cum Hebraico *מִכֶּזֶב* *Mikezeb* quod juxta Rabinos denotat extremitatem sive initii sive finis. Exstant similia exempla in prophanis literis. Lucianus *μὲν τὸν βίον*, tempore vitae. Euripides *μὲν ἡμέραν*, interdiu. Homerus Odyss. x. *μὲν δαίτην*, inter prandendum. Ex quibus omnibus patet, Marcum cum reliquis Evangelistis sensu non discordare, licet diversa phrasi utatur.

11. Subjungunt Evangelistae, quomodo Apostoli hanc Christi concionem susceperint. Est enim solus Petrus hic introducitur loquens, tamen eandem fuisse mentem omnium vel ex eo patet, quod Marcus testatur, Christum *discipulos suos intuitum increpasse Petrum*. Communis enim hic fuit omnium error, quod mundanum regnum Messiae somniabant, & sibi ipsis omnem huius seculi felicitatem pollicebantur. Idcirco graviter offendeantur eo, quod ipse Christus se occidendum affirmaret, Petrus ergo *περὸ λαοῦ ἀρῶν αὐτὸν*, apprehendit eum. Etenim familiaris aliquem corrigendi causa monituri, apprehendimus ejus manum & paululum abducimus, ut eo liberius cum ipso loqui possimus. Sic Petrus ignorans adhuc necessitatem crucis, putavit dedecori futura Messiae, quem ipse modo Dei filium esse

profes.

professus fuisset, si is sacerdotibus subjiceretur, & ab ipsis interficeretur. Proinde *capit eum increpare*. *Επιτιμᾶν* autem est verbum, quo significatur aliquid cum interminatione & indignatione vel præcipere vel prohibere. Petrus ergo abduxit quidem Jesum, sed impetuosus cum ipso locutus est, ut etiam reliqui discipuli audire potuerint. Dixit autem ad Jesum ἰλεως σοικύριε, quod proprie significat, *propitius sit Domine*, scilicet, tibi Deus. Et usurpatur de re, quæ necessariam habeat propitiationem. Lutherus reddidit sensum: *Stöhne dein selbft*. Vetus interpret: *absit à te*. Sed ex communi lingua Græca verus sensus non animadvertitur. Hebræi habent vocem חלילך *Chalilach*, quando aliquid quasi abominandum & detestabile per modum deprecationis averfantur. Hoc vocabulum Græci reddiderunt per ἰλεως. *Absit*, hoc avertat vel prohibeat Deus: *Das sey ferne*. Hoc modo redditum est, 1. Samuel. 14. v. 45. cum Saul Jonathan occidere vellet, eo quod gustasset favum mellis. Ibi dicit populus חלילך, *Absit*, vulgo, *Das sey ferne*. 2. Samuel. 20. v. 20. quoque habetur חלילך, sed redditum est, *μή μοι γένοιτο*, *absit*, *absit hoc à me*. 2. Sam. 23. v. 17. cum Davidi offerretur aqua de cisterna Bethlehem, dicit חלילך ἰλεως μοι, κύριε, ποιήσω τὰς, *Absit mihi*, o Jehova, ut hoc faciam. Invenitur etiam hæc vox, Genes. 18. v. 25. in colloquio Abrahami cum Deo. Et Genes. 44. v. 17. utitur ea dispensator Josephi. Genes. autem 43. v. 23. etiam invenitur ἰλεως ὑμῖν, *pax vobis*, *gebt euch zu frieden/confidite*, nolite timere. Ex præcedentibus autem exemplis patet, Petrum Christum acerbè & non sine indignatione reprehendisse, quod ipse, qui hactenus omnibus morbis, & ipsis etiam Spiritibus immundis imperasset, Senioribus tamen & Pontificibus tantum in se juris permittere, nec majorem sui rationem habere vellet, quam ut tam dira & indigna ab ipsis pateretur. Ideo tandem addit: *Nequaquam erit tibi hoc*. Quasi diceret. Si maxime tu velis tuam existimationem & salutem negligere, nos tamen nostro muneri non defuturi sumus, sed satis masculè nos ipsorum furori oponemus.

Hæc Petrus. Nec est dubium, ipsum dum hæc protulit, quasi re bene gesta sibi ipsi probe complacuisse. Cum enim Jesum hominem innocentissimum esse sciret: ipsum quotidie innumerabilibus beneficiis alios sibi devincire videret: ad hæc Messiam, qui regnum Dei inter homines instauraturus esset, crederet: denique filium Dei viventis professus fuisset: non vidit, qua ratione mors quicquam juris in ipsum habere posset. Unde etiam plerique, maxime autem Pontificii scriptores, Petrum hoc nomine excusant, & dicunt, ipsum hoc sermone ardorem amoris sui erga Christum declarasse, non minus, quam præcedenti sermone ardorem fidei commonstravit. Sed quid opus est operosa Petri excusatione, cum & Christi acris increpatio & res ipsa testentur, Petrum graviter hic peccasse? Nimirum Petrus homo fuit, peccatis obnoxius, pro quorum remissione ad Deum orare coactus fuit tempore oportuno, non minus quam alii sancti. Psalm. 32. vers. 6. Peccavit autem confidentia, quod apprehensum seorsum adduxit eum, in quem nullum jus vel imperium habebat.

Peccavit etiam temeritate, quod non tantum monuit, sed etiam increpavit, & corripuit eum, à quo ipse discere debebat. Peccavit denique impietate, quod impedire cupivit illud, quod ita fieri oportere audiverat. At dicunt: Petrum ex bona intentione hoc fecisse. Esto. Hinc tamen colligere licet: bonam intentionem Deo non probari. Siquidem is non vult nos secundum bonam nostram intentionem, sed secundum verbum præscriptum res nostras instituire. Non facietis singuli, dicit Dominus, quod vobis rectum videtur Deut. 12. v. 8. Sed quod ego tibi præcipio, hoc tantum facito Domino, v. 32. Sed bona intentio ita est affecta, ut quicquid ipsi non placet, illud absurdum ei esse videtur, & vult insuper illud etiam à Deo necdici nec fieri. Ita, quia Petro absurdum videtur, auctorem vitæ crucifigi, & occidi eum, qui mundo daturus est vitam, præcipue autem à senioribus, qui sunt capita populi. Ideo vult ne quidem mentionem hujus imposturæ à Christo fieri.

2. Sed audiamus etiam Christi responsonem, qui asperius Petro occurrit, quam unquam antehac in ullis vitiis fecerit. Est enim sapientia carnis belua ferocissima, quæ aspere retundenda est. Fures, latrones, & alii facinorosi se non excusant à bona intentio semper defenditur. Proinde majori asperitate rejicienda. *Conversus autem & intuitus discipulos*, ubi videt eos idem sentire, acriter Petrum coram omnibus objurgat, dicens: *Abi post me Satana*. Duræ hæc sunt verba, & quidem eadem, quæ Luc. 4. v. 8. ipsi Diabolo sunt dicta, quibus simpliciter Christus eum à se repulit. Innuit ergo, ipsum etiam Petrum à suo consortio repellendum esse, nisi penitentiam agat. Non vocat eum Petrum, non Simonem, sed *Satanam*, hoc est, adversarium. Sunt qui putent, Satanam hæc cogitationes Petro instillasse, eique hoc consilium suggestisse: ut sic Christum in carne passurum, turbaret. Et quia Christus ratione divinitatis talibus oculis præditus sit, quæ etiam Satanam ea suggerentem videre poterit: ideo ipsum Satanam eum his verbis increpuisse. Et quidem dubium non est, à Satana hanc suggestionem profectam esse: Sed Christus hic non cum Diabolo, sed cum ipso Petro in oculis discipulorum loquitur, & eum *Satanam* appellat, quod sua adhortatione obstare & adversaretur ei, quod à cælesti Patre decretum erat, atque sic ipsius Satanæ partes obiret. Addit autem rationes, tum quare ita aspere Petrum repellat, tum quare Petrus tam graviter erret. Reprehensionis causa est, *Quia mihi scandalo es*: id est, vocationi meæ te opponis, ejusque cursum abrumpere vis & impedire conaris, quod minus genus humanum redimatur. Hoc revera grande est peccatum, & dignum quod tanta asperitate retundatur. Quæritur autem, qua ratione Petrus Christo potuerit esse scandalo. Cum scandalum patiantur tantummodo vel imperfecti vel maligni; Christus autem omni ex parte est perfectus & bonus? Sed loquitur Christus humano more, tanquam verus homo. Et in ipsa passione, licet Spiritus fuerit promissus, caro tamen fuit infirma: Matth. 26. v. 41. Et proinde ex Petri suggestionem caro ipsius turbare potuisset, ut eminentem passionem horreret. Erroneæ opinionis in Petro

in Petro causa est, quia non sapit ea, quae sunt Dei, sed ea, quae sunt hominum. Non enim cogitationes meae, sunt cogitationes vestrae; neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus. Sed quantum exaltatur caeli à terra, tantum exaltatae sunt viae meae à viis vestris, & cogitationes meae à cogitationibus vestris. Iesa. 55. v. 8. Est ergo duplex sapientia: alia hominum, alia Dei. Hominum sapientia est, curare, ut sibi bene sit, pericula declinare, mortem fugere, non se aliis subicere, sed quærere honores, opes, voluptates, longam & ab omnibus incommodis in hoc saeculo liberam vitam. Hæc sapiebat Petrus, ac proinde Jesum quoque, ut mortem vitaret, inducere conabatur. Dei autem sapientia est, quæ solum voluntatem & verbum ipsius respicit, & Spiritu Domini se duci patitur, sive per crucem, sive per mortem id fiat, dummodo Dei gloria illustretur, & proximi salus promoveatur. Hanc Christus sibi præfixam habuit, ac proinde in ea per Petrum aut suos discipulos turbari noluit.

Hæc acris Christi objurgatio diversa monet.

1. Quod sapientia carnis sit Satan, si opponatur revelato Dei verbo. Hinc enim Paulus suam sumisit sententiam. Rom. 8. v. 6. *Τὸ Φρόνημα τῆ σαρκός*, intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum. Intellegit autem per illud *ἡ Φρόνημα* omne quod homo non repatus ex seipso sapit, novit, intelligit, vult, cupit, illud omne reluctatur & hostiliter adversatur Deo. Namanimalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Sunt enim eistultitia, nec potest ea cognoscere, 1. Cor. 2. v. 14. Ideo vult Paulus 2. Cor. 10. v. 5. ut *πᾶν νόημα* omnem rationem captivam ducamus in obsequium Christi. Et hoc est de quo sæpiuscule monemur, debere Philosophiam non dominari, sed ancillare Theologiæ, nisi per eam decipi velimus. Col. 2. v. 8. Alias lid fiat, Philosophi dicuntur hæreticorum Patriarchæ.
2. Monet etiam hic locus: Amicitiam eorum esse fugiendam, qui nobis suadent, ut nobis parcamus, & ab obedientia Dei recedamus ex iudicio rationis. Nam & Christus Petrum à societate sua repellit, si in hac sententia perseveret. Paulus certè Act. 21. v. 13. noluit audire eos, qui eum monebant; ne Hierosolymam ascenderet, eo quod vincula ibi ipsi parata essent. Ipse verò paratus fuit etiam mori propter nomen Jesu.
3. In Petri exemplo etiam observari debet communis infirmitas hominum, quæ etiam sanctis inhæret propter legem peccati, quam in carne circumferunt. Petrus, qui modo beatus pronuntiatus fuit, & cui promissæ erant claves regni cælorum, jam Satanas vocatur, quo nihil est abominabilius. Cur verò Deus permisit, ut Petrus in hanc tantam infirmitatem prolaberetur? Permisit, ut tam ipse, quam alii discerent, quantum intersit inter hominem divina gratia adjutum, & hominem sibi ipsi relicto. Ut item disceremus, non sufficere, gratiam Dei semel percipisse, sed opus esse, ut in eadem quis perseveret. Qui ergo existimat se stare, videat necadat, 1. Cor. 10. v. 12. Oret autem Deum, qui potens est ipsum stabilire, Rom. 14. v. 3. 4. Denique monendi etiam hic sunt Pontificii, quid ipsis videatur de fundamento suæ Ecclesiæ, quod ipsi statuum esse Petrum. Si hoc verum esset, certè admodum fragile & ruinofum illud foret. Cum

Christus hic Petrum Satanam appelleret, de fundamento autem Ecclesiæ suæ dicat, ne portas quidem inferorum adversus illud prævalere posse: ergo, ut in superioribus demonstratum est, non Petrum, sed Christum, quem Petrus confessus est, fundamentum Ecclesiæ credimus.

III. Porro non satis est Christo, Petrum carnalia sapientem, ipsumque à crucis & mortis infamia avocantem, redarguisse: verum jam perguit, & communem legem sive regulam statuit omnibus fidelibus, ut si quis ipsius discipulus esse velit, ejus exemplum in patienter ferenda cruce & morte sequatur. Cumque hæc regula sive hic Canon sit Moderator & director totius vitæ Christianæ, utique æquum est, ut quam diligentissimè eam consideremus. Habent suas regulas Augustiniani, Ambrosiani, Benedictini, Bernhardini, Carmelitæ, Franciscani, Joannitæ, & quotquot sunt Monachorum sive sectæ sive ordines, ad novissimum Diaboli sætum Jesuitas usque. Et in iis regulis magnam partem perfectionis non humanæ sed transcendens vitæ ponunt. Sed miseri non vident, se frustra colere Christum, observantes præcepta hominum. Matt. 15. v. 9. & licet sint liberti Domini, fieri tamen rursus servos hominum. 1. Cor. 7. v. 23. Quotquot ergo ab æterna veritate aberrare nolunt, attendant ad hanc regulam Christi hic traditam, quam *convocata omni turba ad omnes dixit*. Hæc enim est illa regula, de qua Apostolus gentium Paulus pronuntiavit: Quicumque secundum hanc regulam incedent, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei. Galat. 6. v. 16. Hi enim sunt veri Israelitæ, quos Christus pro suis agnoscit, quod in ipsis nullus sit dolus. Johan. 1. v. 47. Antequam tamen Canonem ipsum seu Regulam examinemus, attendenda est hæc universalitas, qua Christus in genere dicit: *Si quis vult post me venire*. Neminem cogit, ut contra suam voluntatem se sequatur. *Si quis enim meliorem salutis rationem invenire cupiat, per Christum licet. Si quis tamen ipsius discipulus fieri, per ipsum servari, & æternæ beatitudinis, quam ipse comparavit, consort fieri cupiat, hanc Regulam servet.* Nullum hic ordinis, nullum personarum discrimen ipsi immunitatem afferet, quo minus ad observationem hujus regulæ sit obstrictus. Quiquoque ab hac regula & disciplina Christi solutus vitam degit, is Christiano nomine est indignus. Etenim non sufficit Christianum nominari, in Christi nomine baptizatum esse, externas Christianæ genti usitatas ceremonias observare: sed multo magis omnis cogitatio, cura, opera, tempus, labor ponenda & consumenda sunt, in tenenda & fideliter observanda hac Christianæ vitæ regula, ut sic re ipsa veri & Deo grati Christiani existamus. Nam non omnis, qui dicit, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cælis est, Matth. 7. v. 21.

Sunt autem regulæ hujus, vitam Christianorum moderantis, partes tres. Prima præcipit *abnegationem sui ipsius*. Secunda *quotidianam crucis sublationem*. Tertia, *sequelam & imitationem virtutum Christi Magistri*. Singulas ordine videamus.

1. *Abnegare* aliquid quis dicitur, cum alicui rei

ex animo renuntiat, eam prorsus aspernatur, usque adeo, ut licet in potestate ipsius sit, illam tamen neque nosse, neque illa uti, neque ullam consuetudinem cum ea habere velit. Sic pater dicitur abnegare filium, quem non amplius pro suo agnoscere, nullis beneficiis afficere, nec ulla paterna benevolentia prosequi velit. Honestus maritus abnegat uxorem adulteram, ob perfidiam & libidinem non amplius pro conjugee agnoscens. *Abnegare semetipsum*, est suo arbitrio, suæ voluntati & omnibus propriis animi sui motibus placitisque renuntiare, proprios affectus negligere, suggestiones ac suasiones eorum comprimere & repellere, atque posthac, non sibi ipsi sed illi deditum esse, quem in Dominum ac Magistrum delegit. Sic hoc verbum Christus ipse in sua persona declarat, quando dicit Johan. 5. v. 30. Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Et Luca 22. v. 42. Pater non mea voluntas, sed tua fiat. *Abnegat* ergo Christianus *seipsum*, quando diffusus humanæ suæ sapientiæ, rationem suam contemnens, consilia sua abjiciens, arbitrium suum nihili æstimans, & affectibus cupiditatibusque suis prorsus non indulgens, contra rationem, intelligentiam, voluntatem, consilia, affectus, appetitiones omnes, se totum Deo & verbo ejus per fidei obedientiam subiicit, regendumque exhibet, quo soli illius sanctæ majestati probetur, qualescunque alias eventus in hac vita sortiatur.

Cæterum, est etiam hæc *abnegatio* secundum subjectas partes, in quibus ea occupatur & exercetur, consideranda, tum res omnis fiet illustrior. Christianus enim homo abnegare debet omnes animæ suæ vires, tam superiores quam inferiores, ut sic se totum hostiam tradat DEO. Quoad superiores abneganda est omnis Intelligentia carnalis, abneganda omnis Voluntas carnalis. *Intellectus* hominis perpetuus quidem infinitarum cogitationum fons est, quas incidentes memoria suscipit, & interdum apud se depositas conservat. Hæ verò carnis cogitationes, aliæ sunt otiosæ, aliæ curiosæ, aliæ violentæ, aliæ à spiritu immundo suggestæ, fætidæ, omnes denique corruptæ. Hæ sunt repurgandæ, juxta fidei doctrinam reformandæ, imò prorsus mortificandæ, & cogitationes Christiani hominis ad gloriam Dei, ad proximi adificationem, & ad sui salutem convertendæ. Et quia sensus nostri sunt intellectus ministri atque satellites: idcirco & ipsi forti abnegatione sunt purgandi, ut Dei obsequio sese dedant. Oculi sunt avertendi, ne videant vanitatem: aures claudendæ, ne audiant impia vel obscæna: manus & pedes constringendi, ne contrectent aliena, vel ambulent viam iniquitatis: Phantasia compescenda, ne vanarum imaginum turbam menti offerat, quarum copia intellectus obrui possit. Denique à ratione & judicio, à cogitatione & sensu omnis malitia arcenda est, ut omnia divinæ sanctimonix virtute in nobis imbuta deprehendantur. Deinde etiam *voluntas* propria est abneganda. Hæc enim voluntati Dei prorsus est contraria, nec se subjicit divinæ, sed hanc potius ad se flectere, & suæ conjugere conatur: ut modo in Petro vidimus. Querit saltem quæ sua sunt, seipsa delectatur, & neglectis

aliis omnibus, amore sui quasi capta, tota intenta est in proprium commodum. Huic suæ voluntati si quis indulgeat, reducit eum ipsa in servitum Diaboli. Ergò intellectus Christiani hominis verbi divini luce illustratus, ubi intellexerit, quæ sit sancta & justa DEI voluntas, suam etiam propriam voluntatem impellat, ut fortiter se abneget, tota à Dei voluntate pendeat, eamque ceu Magistrum suam in tota vita sequatur. Et hæc est *abnegatio* superiorum virium, Rationis & Voluntatis.

Inferiorum virium *abnegatio* est crucifixio omnium pravorum affectuum & cupiditatum, adhæc malorum habituum inde enatorum. Hos malos affectus si ordine recensere velimus. 1. Primum locum obtinet *prava concupiscentia*, quæ est omnium malorum fomes, quo homo ad peccatum incitatur, & nullo negotio ad illud perpetrandum devolvitur, nisi per Dei gratiam impediat. Unusquisque enim tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus. Jacob. 1. v. 14. Verus ergo Christianus prudenter attendit, quales habeat naturales inclinationes ad malum, & quando eas agnoscit atque deprehendit, mox tanquam pessimos suos hostes, quibus Diabolus ceu ministris ad se perdendum uti velit, studio abnegationis jugulat, & per Dei gratiam removet. 2. Concupiscentiam, ceu fomitem, sequuntur *vitioli affectus* & prævæ animi commotiones. Ad has ne excrecant, securim abnegationis admovere debet Christianus. Magnas & efficaces ad præpediendâ peccata vires habet abnegatio, si pravi animi affectus primo statim initio coercantur. Caveat ergo Christianus, ne otio torpeat. Animus bonis cogitationibus occupetur, ne malis motibus obruatur. 3. *aviditas* quoque & *amor proprius* per abnegationem abjiciendus. Ubi enim hic affectus dominatur, ibi omnem intentionem inquinat, pervertit, & facit, ut homo non DEUM, sed seipsum intueatur, nec quicquam aliud in suo proposito quam seipsum solum quarat. Idcirco hic affectus ex toto pectore evellendus est. Perit homo amando se: Ergo in viam salutis restituatur abnegando se. Et revera, si homo attente consideret, quot & quantæ corruptelæ & prævæ propensiones ex seipso orientur, non potest non incipere seipsum odisse, nauseare, contemnere, sibi indignari, & propria dedecora exprobrare. Unde pium sui ipsius odium, vicissim autem sanctus DEI amor exoritur. 4. *Luxuria vitium* potissimum juvenuti insidiatur, & hominem mox à pubertatis tempore incipit oppugnare. Hic ergo caro severe est domanda, cor, ne impuris & sordidis cogitationibus incendatur, diligenter custodiendum, omnes prævæ appetitiones, quamprimum excitantur, statim expellendæ, omnis libido acriter coercenda, & metu sempiterni supplicii, quod iis imminet; qui in hoc affectu non viriliter contra seipsum decertant; caro ad veram continentiam est adigenda. 5. Vice versâ *avaritia* provectioris ætatis homines potissimum occupat, ut nullis divitiis, nulla copia satiari queant: sed quo minus superest via, eo plus requirant viatici. At avaritia radix est multorum malorum. 1. Timoth. 6. v. 10. Hæc ergo radix

radix mala ex corde est refecanda. Qui enim volunt detestari, incidunt in tentationes & laqueos Diaboli. Et quid prodesset homini, si universum mundum lucraretur, animam verò suam detrimentum pateretur? Quin ergo simus *diva pœis* & sorte nostra contenti: aut si affluant divitiæ, cor non apponamus. Psal. 62. v. 11. sed tanto magis liberalitatem exercentur. 6. Intermediam ætatem ut plurimum divexat *iracundia*, quæ parit rixas, contumelias, verbera, cædes: & hominem ex filio Dei in Diaboli mancipium transmutat. Hic ergo proprii cordis impulsus sunt compescendi & abnegandi, & animus in tranquillum statum reducendus. Neque enim ita vir iustitiam DEI operatur. Jacob. 1. v. 20. Quapropter etiam illatas injurias patienter toleremus: & spiritui mansuetudinis aliorum contumelias superemus: cogitantes probra redemptoris nostri, qui, cum malediceretur, non vicissim maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti iustè. 1. Pet. 2. v. 23. 7. *Gula* quoque vitium multis est valde familiare. Quitamen veri Christi discipuli sunt, illud abnegant, & serio ab ipso abhorrent, quia gravat cor, & impedit, quo minus quis iusta vigilantia expectet diem Domini. Lucæ 21. v. 34. Ac proinde potius à necessariis abstinere, quam ut edendo bibendoque intemperantiæ fræna laxent. 8. Insuper multos divexat proximi prosperitas, & optatus rerum successus. Hic abneganda omnis *invidia*. Et cur Satanico huic malo locum concedamus, cum in Christo omnes simus unius corporis membra? Bene ergo & velimus & faciamus nobis invicem, donec ad communem illam hæreditatem perveniamus, quam cohæredum numerus non angustabit. 9. *Lingua incontinentia* quoque in mundo dominatur, unde blasphemiarum & obreccionum in homines profluent. Hoc vitium quoque Christiano abnegandum est, custodia ori ponenda, & sedulo cavendum, ne in lingua nostra delinquamus. Psal. 39. v. 2. Est enim lingua nostra modicum membrum: sed multum turbarum concitare potest. Jacob. 3. v. 5. Verus itaque Christianus parce & utiliter loquitur, & accurate præponderat, quid, cui, quando, qualiter & quantum sit loquendum. 10. Denique quia *Superbia* initium est omnium peccatorum, & adhuc hodie subinde sese etiam piorum cordibus, insinuat, sicque omnia etiam rectè facta ipsorum inquinat, hæc quoque tota est abneganda. Deus enim resistit superbis: humilibus autem dat gratiam. 1. Pet. 5. v. 5. Verus itaque Christianus nihil faciat per contentionem, nihil per inanem gloriam, omnia per humilitatem, ad ædificationem Ecclesiæ, & honorem Dei, Phil. 2. v. 3.

Ex hac brevi enumeratione manifestum est, quam latè pateat prima hæc pars regulæ Christianismi, quæ agit de abnegatione sui. Nunc inspicimus etiam alteram regulæ partem, quæ his verbis comprehenditur: *Tollat crucem suam quotidie.*

1. *Crucis* nomine Christus omne genus afflictionum, quæ cum ignominia conjunctæ sunt, & homini accidere possunt, intelligit. Afflictionibus autem hoc nomen imponit ad similitudinem suæ crucis, quam ipse & acerbissimam & probrosum ad mortem usque nostri causa sustinuit.

Harm. Tom. I.

Vultque hac voce nos commonefacere. 1. quod afflictiones Ecclesiæ & piorum non leves aut vulgares, sed in summo & extremo gradu sint futuræ. 2. Quod cum externa ignominia, tanquam crucis supplicium, sint conjunctæ. 3. Quod passiones credentium sint sanctificatæ cruce Christi, ne sint signa iræ, sed indicium salutis. Philip. 1. v. 28. Fiunt enim sacrificia DEO placentia, si fiant in fide crucis Christi. 4. Imprimis autem vult nos commonefacere salutaris illius communionis, quam cum ipso hoc nomine habemus, quando ceu membra ipsius, ob nomen ipsius, adversa subimus atque perferimus. Sic enim & nos adimplemus, in carne nostra, reliquias afflictionum Christi, pro corpore ipsius. Coloss. 1. v. 24. Quia verò afflictiones homini Christiano sunt perferendæ, sciendum, eas non esse unius generis. Aliæ enim sunt communes humani generis calamitates, quibus omnes homines, cujusque fidei vel religionis sint, secundum communem naturæ cursum sunt expositi, eo quod omnes etiam peccato originis sint obnoxii. Hinc homini multa incommoda & molesta accidunt, mox à partu, per omnes totius vitæ ætates. Quis recensere potest dolores, quos inferunt frigus, æstus, fames, sitis, cum multiplicibus morbis, qui unicuique ætati & parti corporis insidiantur? Partus noster, incunabula, infantia, pueritia, adolescentia, juvenus, virilis ætas, & senectus infinitis scitent molestiis. Ut nimis verè dixerint, Jacobus Patriarcha, Genes. 47. v. 9. Dies peregrinationis vitæ nostræ pauci & mali: Moyses Ps. 90. v. 10. optimum in vita nostra est labor & dolor: Syr. c. 40. v. 1. Jugum grave est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, &c. Aliæ verò afflictiones sunt Christianis peculiares, quæ ipsis ob confessionem nominis Christi obveniunt. Dum enim ipse verbo sincera fide adherent, impiis hujus sæculi aliis displicent, qui ipsorum studia minime probare possunt. Ex hac displicentia nascitur odium, de quo ipse Christus dicit, Matth. 10. v. 22. odio eritis omnibus propter nomen meum. Ex odio oritur distractio & separatio etiam conjunctissimorum: sic ut liberi à parentibus, conjux à conjuge, frater à fratre, amicus ab amico, vicinus à vicino separentur. Si enim ulla in re, certè in religionis causa, vel maximè mundani homines conversationem & societatem averfantur piorum. Hanc separationem comitantur probra, convitia, & multæ obreccionum, ubi veri Christiani hæreseos, seditionis & aliorum falsorum criminum insimulantur, maledictis proscinduntur. Ad quæ omnia interdum apud aliquos sequuntur carceres, vincula, verbera, condemnationes, exilium, gladius, ignis, perditio. Ut sic vel tandem impleatur illud, quod Paulus dixit: Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2. Tim. 3. v. 12. Hæc omnia & longè plura, qualia etiam sunt paupertas, viduitas, contentus hominum, & denique amara mors, *crucis* nomine intelligenda veniunt.

2. Deinde docet Christus, quam quisque Christianus crucem gestare debeat. *Tollat*, inquit, *suam crucem*. *Sua crux* homini Christiano dicitur illa: non quam quisque ipse sibi eligit, fabricat,

LIII 2

bricat,

bricat, vel attrahit: Sed quam Deus, qui solus pro sua sapientia & bonitate novit, quid cuiusvis utile vel necessarium sit, singulis imponit. Genuinus ergo Christi discipulus non sibi præsumit scrupulose DEO præscribendi, quid & quantum sibi imponere, aut quomodo secum agere debeat. Neque etiam sub cruce constitutus, oculos curiosè ad alios convertit, & cum Petro, Johan. 2. 1. v. 22. dicit, Domine quid autem hic? Multo minus impatienter quiritatur, quasi DEUS aliis leviora, sibi autem graviora & difficiliora portanda imposuerit. Sed in bona DEI voluntate patienter acquiescit, certus, Deum omnium optimè novisse, quid ipsi ad refræandam carnem lascivientem sit maximè conducibile. Ut enim ferox equus se florem non libenter admittit, sed, si potest, excutit, nisi fræno dometur: ita crux instar fræni est, quo caro nostra domatur, ut tanto facilius se à Domini Spiritu regi patiat. Interim tamen, dum Christianus suam crucem tolerat, aliorum calamitates non securè negligit: sed flet cum flentibus, Rom. 12. v. 15. ut sic ex caritate etiam aliorum onera portet; Galat. 6. v. 2.

3. Emphasis verbi *tollendi* etiam est expendenda. Neque enim omnis, qui fert crucem, DEO acceptus est. Quia multi invito & impatienter animo eam ferunt. Sed tantum is, qui *tollit crucem suam*. Requirit autem hoc verbum alacritatem, ut quis adversa à DEO sibi destinata, volens & lubens suscipiat: nec contra DEUM, nec contra homines, quos mali sui auctores esse suspicatur, fremat: sed potius cum Apostolis, Act. 5. v. 41. lætetur, quod dignus æstimatus sit, qui propter Christum aliquid patiat. Sciunt enim pii, quod hujus temporis passiones non sint condignæ, ad futuram gloriam, quæ in ipsis revelabitur, Roman. 8. v. 18. Confidunt etiam DEO, quod sit fidelis, qui non patiatur suos tentari supra & ultra vires, sed una cum afflictione etiam proventum largiatur, 1. Cor. 10. v. 13. Proinde *tollo* Christiani non nimium reformidant crucem, non illegitimis mediis illam excutere nituntur: sed potius gloriantur in tribulationibus Roman. 5. v. 3. & gaudent, quod communicant passionibus Christi, ut in revelatione gloriæ ejus rursus gaudeant exultantes, 1. Petr. 4. v. 13. In *tollendo* tamen etiam prudentia requiritur, ut quis attendat, quid DEUS ipsi imponat aut det ad ferendum. In vitis Patrum legimus exempla, quod aliqui Sancti alienam ignominiam & turpitudinem in se susceperint ferendam. Hos Ego nunquam laudavero, quia non sustulerunt id, ad quod DEUS ipsos vocavit, sed quod propria temeritate sibi accersiverunt. Et si sub illa cruce perierunt, sibi non aliis imputent.

4. Tandem vult Christus in sua regula, ut quisque Christianorum crucem suam tollat *quotidie*. Cum enim quævis dies habeat suam *suam crucem*, Matth. 6. v. 34. suas cruces, labores & afflictiones: imò cum duodecim sint horæ diei, quarum singulæ DEO permittente (ut Job. 1. v. 14. factum est) suas miseras immittere possunt, non potest sibi Christianus vacationem à cruce promittere, quamdiu in mortali vivit corpore. Perseverantia itaque in malis, & animi constantia in cruce ferenda requiritur: ne quis retro respiciat, neve

animo deficiat, sed ad finem usque perseveret, bonam militiam militet, fidem & bonam conscientiam servet, ut olim coronam justitiæ, in vitam æternam repositam, accipiat. Nam certum est, quin lacrymis seminant, in exultatione metent, Ps. 126. v. 5. Bona igitur faciendo, & adversa patiendo non deficiamus. Tempore enim suo metemus, etiam non deficientes, Galat. 6. v. 9. Hæc est altera pars regulæ Christi.

Sequitur tertia, quæ est de sequela & imitatione Christi. Dicit enim Servator noster, & sequatur me. Quibus verbis vult, ut nos Christiani nos totos ad ipsius, seu Magistri nostri, exemplum componamus, & vestigiis virtutum ipsius insistantus, donec eo perveniamus, ubi ipse nunc est in gloria Patris. Non vult ut divinæ ipsius virtutis opera, quæ sunt miracula, imitemur. Hæc enim Pater dedit filio, ut testimonium de ipso perhiberent, quod Pater miserit ipsum, Joh. 5. v. 36. Et nobis imitatio ista sunt impossibilia. Sed hoc requirit, ut quoniam ipse se ipsum salutis nostræ causa abnegavit, quoniam quotidie crucem suam sustulit, quoniam perfectissimum obedientiæ erga Deum, innocentiam, justitiæ, humilitatis, caritatis erga proximum, adeoque omnium virtutum exemplar nobis prætulit, in illis ipsum imitemur & sequamur. Nihil à nobis requirit, quod non ipse Dominus & Magister noster prior fecisset. Turpè ergo fuerit, si nos servi & discipuli hanc regulæ partem exsequi nolimus. Quis enim bonus miles recusat aggredi id, quod Ducem suum facere videt. Dumque præcipit, ut se sequamur, innuit, se nostrum Ducem & auxiliatorem futurum, ut metam præfixam consequi queamus. Etenim ipse doctrina sua nobis viam salutis aperit & monstrat. Idem, ubi via difficilis videtur, exemplo suo præit. Si quando nos ex carnis imbecillitate languidi reddimur, ille salutaribus monitionibus & dulcibus consolationibus nos rursus excitat, novis viribus nos instruit, & Spiritu suo sancto tantisper nos confirmat, donec ex omnibus angustiis eductos nos æternæ salutis participes reddat.

Cæterum si quis hanc partem regulæ Christi, quæ agit de sequela ejusdem, rectè intelligere velit, ille ad tria attendere debet. Unum est: ut cognoscat viam salutis, eamque per fidem ingrediatur. Alterum: ut in eadem via per sanctimoniam vitæ progrediatur. Tertium: ut ad metam vitæ & gloriæ cœlestis contendat.

1. Ante omnia vera via ad vitam & salutem magna diligentia est cognoscenda. Est enim etiam alia via, eaque spatiosa, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per illam, Matth. 7. v. 13. Veriorem autem & certioram viam ad vitam invenire non poterimus, quam eam, quam cœlestis Pater nobis paravit. Neque enim nos homines nobis ipsis viam ad salutem eligere, sive possumus, sive debemus. Sed à DEO electam & probatam diligere atque apprehendere debemus. Itcirco quoque Christianus cum Davide dicit, ex Psal. 25. v. 4. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Illa verò via est Christus, qui de seipso in Evangelio dicit: Ego sum vera via ad vitam æternam: Nemo venit ad Patrem, nisi per me, Johan. 14. v. 6. Hanc viam magno desidio

derio quarere, & inventam majori studio addiscere debemus: quod fit usu verbi divini, dum illius auditione, lectione & meditatione Christum vera fide apprehendimus, & in ipsius agnitione de die in diem crescimus. Hac de causa ipse nos iubet Scripturas scrutari: siquidem in illis vitam æternam habeamus, & illa sint, quæ testimonium perhibeant de ipso, Johan. 5. v. 39. Hanc ergo viam salutis ingredimur omnes, quando per baptismum Christo nomen damus, & coelestem doctrinam ab ipso traditam amplectimur.

At verò omnibus notum est, quod sola viæ notitia nemo ad ejus metam perveniat, nisi illam etiam ambulet. Itaque secundo opus est, ut quisque Christianus hanc viam vero studio pietatis ambulet, hoc modo, ut quotidie magis ac magis, à seipso, à Satana, à mundo longius recedat, & propius ad DEUM accedat. Et hæc ambulatio est vera sequela Christi, quam is hoc loco requirit: ut omnem vitæ suæ conversationem ad ipsius exemplum componat. Siquidem novit Christum Magistrum dixisse: Exemplum præbui vobis, ut sicut Ego feci, ita & vos faciatis, Johan. 13. v. 15. Hoc exemplum si Christianus rectè imitari velit, necesse est, ut ad tria respiciat: ad DEUM, ad proximum, ad seipsum. Ut juxta Pauli dictum, Titum 2. v. 12. *ἐπιμαρτυρῶν*, pie erga DEUM, *δικαιῶν* justè erga proximum: *σωφρονῶν* temperanter erga seipsum vivat. Hæc enim tria Christus in sua vita perfectè executus est. 1. Erga coelestem suum Patrem se pium exhibuit, ipsum glorificando, eum invocando, ipsi constanter obediendo, & erga eum se sanctè humiliando. In his Christianus Christum Duce[m] & Magistrum imitetur, ut primo in omnibus suis actionibus quarat DEI gloriam: & omne, quod cogitat, quod molitur, quod agit, spiriter DEI gloriam, juxta Apostoli dictum: Quicquid facitis, omnia in gloriam DEI facite, 1. Cor. 10. v. 31. Ut ita vere olim mundo valedicturus cum Christo dicere possit, Johan. 17. v. 4. Ego te glorificavi Pater super terram. Deinde in omnibus necessitatibus DEUM assidue & devote invocet. Sic enim Christus ipse docuit, Luca 18. v. 1. quoniam oportet semper orare: siuque exemplo nobis prævit. Quoties magni quid insituerè voluit, prius oravit. Luca 6. v. 12. electurus Apostolos, pernoctavit in oratione. Sæpè secessit in desertum locum, aut in montem, ut ibi oraret. Johan. 17. v. 1. sublevatis in cœlum oculis ardentissimè precatus est in præsentia Apostolorum. Marc. 14. v. 35. procidit super terram, & oravit. Denique in cruce cum valido clamore & lacrymis preces & supplicationes suas obtulit ei, qui potuit ipsum à morte salvum facere, & exauditus est pro sua reverentia, Hebr. 5. v. 7. Nam tertio in Christo eluxit exemplar perfectissimæ obedientiæ erga Patrem, quod ipse Paulus Philip. 2. v. 8. eximie prædicat. Ita enim obediens fuit, ut D. Bernhardus rectè de ipso dixerit: Vitam perdidit, ne obedientiam perderet. Ita verus Christianus totus subjectus sit DEO: cum Christo dicat, Luca 22. v. 42. non mea voluntas, sed tua fiat. Mea enim voluntas semper est perversa: Tua autem voluntas nunquam non est justa, recta & bona. Detergò Christianus operam, ut quam primum divinæ voluntatis sententiam percipit, ei

Harm. Tom. I.

promptè, libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter & indefinenter obtemperet. Mandatum DEI sui non procrastinat: sed quam primum aures voluntatem DEI perceperunt, è vestigio manus operi, pedes itineri adaptat, ut imperantis mandatum exsequatur. Et hæc omnia denique facit admiranda humilitate, sicut Christus ea nobis prævit. Qui cum esset in forma DEI, non tamen rapinam arbitratus est, parem esse DEO, sed seipsum exinanivit & humiliavit, forma servi assumta, Philip. 2. v. 6. Ideò dicit nobis Matth. 11. v. 29. discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Pudeat nos elationis & superbiæ: quia humilia DEUS respicit in cœlo & in terra, Psalm. 113. v. 6. Omnes igitur invicem humilitatem insinuemus, ut dicit Petrus 1. Epist. 5. v. 5. maxime autem erga DEUM: ita ut si omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt, tamen dicamus: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Luca 17. v. 10.

2. Erga proximum sive homines se *δίκαιον* & probum exhibuit caritate sincera, beneficentia perfecta, mansuetudine incredibili, & justitia assoluta. Hæc virtutes etiam alii Christiani in vita sua erga proximos imitari debent. 1. Caritas Christi perfecta fuit: quia majorem caritatem nemo habet, quam qui animam pro amico ponat, Johan. 15. v. 13. Hanc autem Christus erga omnes homines habuit: ut qui pro nobis mortuus sit, cum adhuc peccatores & inimici ipsius essemus. Roman. 5. v. 8. Ergò & nos Christiani consimilem caritatem exerceamus erga alios. Nam hoc novum mandatum nobis dedit, Johann. 13. v. 34. ut sicut ipse dilexit nos, nos invicem diligamus. Dilectio autem hæc esse debet sine furo, sine simulatione & dolo, ut non verbo, neque lingua, sed opere & veritate nos invicem diligamus, 1. Johan. 3. v. 18. Caveant Christiani, ne sint æra sonantia, & cymbala tinnientia, caritatem non habentia, 1. Cor. 13. v. 1. si viam vitæ dextrè decurrere velint: sed ut ignem sancti & casti amoris intra præcordia conceptum habeant, quo proximum suum persequantur. 2. Caritati annexa est beneficentia, quia Christus omnibus exemplo præluxit: quia pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Actor. 10. v. 38. Unde populus Marc. 7. 37. hoc præconio ipsum ornavit: Omnia bene facit: verè omnia bene fecit: esurientes cibavit, sitientes potavit, omnem languorem & infirmitatem in populo sanavit corporibus sanitatem restituit, animabus salutem peperit, hostium denique conversionem quæsit. Hujus beneficentiæ & communionis nullus Christianus oblivisci debet: quia talibus victimis delectatur Deus, Hebr. 13. v. 16. Beneficentiam itaque studeamus de omnibus: siquidem Christo teste, da re semper beatius est, quam accipere, Actor. 20. v. 35. 3. Mansuetudinis quoque Christianus in communi vita non debet oblivisci. Omnes enim erramus multoties in omnibus. Quapropter si quando proximus nos offendit, iræ impetum moderemur, & mala æquo animo tolerare discamus: proximus etiam nostras infirmitates eo patientius ferre discet. Christus dixit: discite à me, quia mitis sum, Matth. 11. v. 29. Vere mitis fuit, qui discipulorum suorum innumeras

LIII 3

meras

meras infirmitates æquanimitè tulit : Judam proditorem magna patientia diu sustinuit : Malchum vincula ipsi parantem , à Petro fauciatum , sanavit : denique pro crucifigentibus se Patrem rogavit . Hæc & similia imitemur , inimicos diligamus , beneficiamus his , qui oderunt nos : oremus pro persequentibus & calumniantibus . Sic opere commonstrabimus , nos filios esse Patris , qui in cœlis est , Matt. 5. v. 44. 4. Denique diximus , Christum etiam in vita communi justitiæ observantem fuisse , & in eo quòque nobis exemplum prætulisse . Magistratui enim , tanquam verus homo , subditus fuit : didrachma pro se & pro Petro solvit : de tributo interrogatus , Cæsari , quæ Cæsaris sunt , dare jussit : ad regnum quæsitus se abscondit : neque unquam rem alienam appetiit aut sibi vindicavit . Hoc exemplum imitemur : omni ordinationi divinæ subiecti simus : honorem cui honorem , tributum cui tributum , timorem cui timorem , reddamus : justi simus in operibus , in verbis , in literis , in contractibus : exerceamus officia humanitatis , & studiosi simus conservandæ societatis humanæ , deque æquitate & justitia commonefacti , caveamus DEUM vel homines offendere .

3. Qua parte Christianus in vitæ conversatione seipsum spectare & operam dare debet , ut σωφρονως vivat : ibi animadvertit , sibi sanctimoniam vitæ Christi imitandam esse , quæ certè tanta fuit , ut , Propheta teste , nihil falsi , nihil fraudulentum unquam in ore ejus inventum sit . Unde ipse in medio acerrimorum hostium dixit : Ecquis vestrum arguet me de peccato , Johan. 8. v. 46. Licet autem in tali vitæ innocentia Christum nunquam consequi possimus coram Deo : coram hominibus tamen ita vivendum est , ut vita nostra culpa vacet , & criminis suspicione careat . Verus itaque Christianus omnes suos sensus , gestus , sermonem , motum & habitum , quantum ipsi possibile est , ita gubernat , ut quasi Christum exprimat . Oculos cum Christo avertit à vanitate mundi , & convertit ad videndas miseras proximorum , ut illis subveniat . Aures circumcidit , ut piè & prudenter iis illud tantum hauriat , quo cor emendetur in honorem Dei & proximi commodum . In sermone Domini mira fuit suavitas , singularis humilitas , admirabilis prudentia , sincera simplicitas , nervosa gravitas , ingens caritatis incendium , interdum etiam justæ zeli vehementia . Has sermonis virtutes æmulari studeamus , ut os nostrum non resolvamus , nisi in laudem Dei , & proximi ædificationem . Christi etiam peregrinationes exemplum dedere religionis & pietatis . Iter fecit ad templum : inter eundem fermocinatus est cum discipulis de rebus cœlestibus : castella , vicos , & civitates perlustrans hominibus salutem corporis & animæ attulit : integras denique provincias perambulavit , & in privatas domos multorum penetravit , ut passim omnibus beneficeret , Act. 10. v. 38. Sic nos quoque Christiani non debemus domi desidere , ignavo otio torpere , sicque Diabolo pulvinar parare , sed pedes nostros debemus convertere ad semitam mandatorum Dei , fidei & virtutum . Omnes gressus nostri directi esse debent , ad gloriam Dei & hominum utilitatem . Christus denique non fuit *μισεῖν θεόν* , sed familiariter conversatus est cum homini-

bus : venit ad nuptias : discubuit in conviviis Pharisæorum & Publicanorum : nemini tamen usquam offendiculum præbuit , sed passim , vel peccatores convertit , vel hospitibus rectè vivendi præcepta tradidit . Sic etiam Christianus discumbendo , vescendo , colloquendo , hoc unice querit , ut Dei gloria propagetur , veritatis doctrina provehatur , & salus proximorum promoveatur .

Hactenus de via salutis actum est , per quam nos Christiani Christum salutis *ὁ δὲ κλητὸν* Hebr. 2. v. 10. sequimur . Superest , ut etiam aliquid de meta viæ seu fine dicamus , ad quem Duce Christo tendimus . Nemo enim sanus unquam alium secutus est , si ignoraret , quo eum perduciturus esset . Meta autem est cœlestis patria , beata vita , æterna salus . Quemadmodum enim Christus tandem sub finem vitæ per crucem , passionem , & mortem intravit in suam gloriam , Luc. 24. v. 26. ita & nos , si constanti fide ipsum secuti fuerimus , ad eandem gloriam adducet , ut finem fidei nostræ , animarum salutem , reportemus , 1. Petr. 1. v. 9. Sic enim ipse promittit , Joh. 17. v. 26. Si quis mihi ministrat , me sequatur : & ubi sum Ego , illic & minister meus erit , Joh. 14. v. 12. In domo Patris mei parabo vobis locum , & rursus veniam , atque assumam vos ad me ipsum , ut ubi sum Ego , & vos sitis , Joh. 17. v. 24. Pater , quos dedisti mihi , volo , ut ubi sum Ego , & illi sint mecum , ut videant claritatem meam , quam dedisti mihi . Paul. Phil. 3. v. 14. hanc Christi consecrationem vocat *διώκεν τὴν σκηνήν* , scopum , verus ferri ad *βασίλειον* & palmam supernæ vocationis Dei , in Christo Jesu . Et fiducia illarum promissionum Christi , ibidem v. 20. dicit : *Πολίτευμα* , principium & conversatio nostra est in cœlis , unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum , qui transformabit corpus nostrum , ut conformem reddatur corpori ipsius glorioso . Hanc metam ubi consecuti fuerimus , ibi perfuncti omni labore viæ requiescemus à laboribus nostris , Apoc. 14. v. 13. ibi Dominus absterget omnem lacrymam ab oculis nostris , & mors ultra non erit , neque luctus , neque clamor neque dolor , Ap. 2. v. 4. Ibi restituetur nobis imago Dei , per lapsum amissa : ut quemadmodum in hac vita portavimus imaginem terreni Adami , sic in illa portemus imaginem cœlestis , 1. Cor. 15. v. 49. Ibi veniet perfectum , & evacuabitur imperfectum : ibi cognoscemus , sicut nunc cogniti sumus , 1. Cor. 13. v. 10. & 12. Ibi veri Christiani fulgebunt , ut Sol in regno Patris , Matt. 13. v. 43. & qui multos ad justitiam erudierunt , quasi stellæ in perpetuas æternitates , Dan. 12. v. 3. Ibi aggregabuntur sancto angelorum concilio , & omnium Patriarcharum , Prophetarum , Apostolorum , Martyrum , adeoque sanctorum fidelium consortio , qui conscripti sunt in cœlis , Heb. 12. v. 23. imo erunt *ἰσχυροὶ καὶ ἡσυχαιοὶ* , angelis pares & filii Dei : Luc. 20. v. 36. Ibi jucundissima fruentur consuetudine , cum Deo suo Creatore , Conservatore , Redemptore , Sanctificatore , Salvatore , quem de facie in faciem intuentes , æterna perfruentur lætitia . Quia Deus erit omnia in omnibus , 1. Corinth. 15. vers. 28. & ipsi similes ei erunt , 1. Johan. 3. vers. 3. Quis hic effabitur , quanto gaudio animi Christianorum perfundentur ? Ibi exultabimus gaudio ineffabili & glorioso , 1. Petr. 1. v. 8. Nam nec oculus vidit ,

dit, nec auris audivit, nec in cor hominis penetravit id, quod DEUS præparavit diligentibus se, Jesh. 64. v. 4. I. Cor. 2. v. 9. O quando veniam (ut cum August. Soliloq. c. 35. dicam) & apparebo, Domine, ante faciem tuam? O dies præclara & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis & confessionis? In qua audiam, intra in gaudium Domini tui: intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, ubi sunt magna & inscrutabilia mirabilia, quorum non est numerus: intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam læticiam, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum: ubi erit quicquid voles, & non erit quicquid noles. O gaudium super gaudium: gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium.

Hæc aliquanto prolixius in auream illam regulam, quam Christus Servator sectatoribus suis præscribit, commentari libuit. Nunc ad reliqua progrediemur.

IV. Docuit hæc Jesus, quænam sint iis faciendæ, qui ipsum sequi velint. Quia verò ipse sciebat, quid esset in homine, Johan. 2. vers. ult. & quod caro nostra à cruce atque adversis abhorreat: eo quod quisque bene sibi esse cupiat. Et experientia docet, quod quemadmodum tres sunt partes regulæ, quam Christus suis sectatoribus præscripsit: sic etiam tria impedimenta carni corruptæ obstant, quo minus doctrinæ Christi locum concedat. Primo enim alii vitæ suæ metuentes, Christum potius quam se abnegant: deinde alii opes & reliqua vitæ commoda amittere nolentes, crucem subterfugiant: alii denique de honore suo dignitatibus & potentum favore ob Christi nomen periclitari nolentes, ejusdem sequelam & imitationem intermittunt. Hæc impedimenta Christus, sub finem sui sermonis validissimis rationibus refutat.

1. Vitæ hujus mundanæ cupiditas, quæ natura omnibus inhæret, & mortis (quam Aristoteles fatetur *Φοβερὸν Φοβερὸν*) metus multos retrahit, quo minus constantes in confessione Christi maneat. Præterdunt enim, vita nihil esse pretiosius, quæ etiam semel amissa nunquam recuperari possit. Sed Christus testatur, neminem vitæ suæ pejus consulere, quam eos ipsos, qui illam cum abnegatione Christi & ipsius Evangelii conservare student. Nam qui amore corporalis vitæ, Christum fontem vitæ, & Evangelium ipsius verbum æternæ vitæ abnegant, illis nihilominus suo tempore moriendum est, ut ita corporalem vitam post aliquantum temporis amittant, atque insuper æternam etiam vitam priventur. Qui verò hanc vitam amore Christi negligunt, vel, ut Johan. 12. v. 25. dicitur, oderunt, illi, quia Christum, qui est vita hominum, Johann. 1. v. 4. & auctor vitæ, Act. 3. v. 15. retinent, in ipso etiam æternam vitam inveniunt. Ut autem huic sententiæ nos Christiani tanto firmius fidem habeamus, considerandum, quid & qualis sit mors nostra, seu amissio vitæ corporalis. Statutum est hominibus semel mori. Hebr. 9. v. 27. Neque mortem quisquam hominum effugiet, si maxime millies Christum cum Evangelio suo abnegaret. Nam per Adami pec-

catum in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Rom. 5. v. 12. Gratia autem regnat per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum. v. 21. Quotquot ergo firma fide Christum apprehendunt, illi in Christo vitam inveniunt: teste Apostolo Paulo, Galat. 3. v. 3. Vita nostra abscondita est cum Christo in DEO: cum autem Christus apparuerit, vita nostra: tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Etenim etiam quod nunc vivimus, vivimus in fide filii Dei. Imò, non nos jam vivimus, sed vivit in nobis Christus. Galat. 2. v. 20. Cum ergo æterna vita à Christiano per Christum in hac mortali viti sit incoata, cur grave esset illam per mortem aut exitum ex hac caduca vita continuare? Cum sciat animam è vestigio per angelos in cœlum transferri: corpus autem in sepulcro sub spe lætæ resurrectionis placide quiescere. Et hac de causa Christiano dies mortis melior est, quam dies nativitatæ, Eccles. 7. v. 2. Quia dies natalis est accessus ad omne dolorum & miseriarum genus: emortalis autem, si in fide filii Dei claudatur, introitus est ad beatam æternamque vitam. Ad hæc in morte non homo, sed miseria hominis moritur. Dum Christianus in hac vita commoratur, servitutem servit corruptioni originali atque ortis inde reliquit. Unde per omnem vitam divexant nos dubitationes, ignorantia, *ἀμυσία*, invidia, avaritia, odium, libido, ambitio, & consimilia mala. O benedicta ergo dies, quæ finem hisce malis imponit! quæ ab hostibus hisce liberat! Hoc facit dies mortis, quæ vere piis est annus Jubilæus, annus remissionis & manumissionis. Hæc qui considerat, is nunquam dubitabit pro Christo, & cum Christo mortem adire. Desiderabit dissolvi, & cum Christo esse. Phil. 1. v. 23. Quia scit, mortem suam pretiosam esse in conspectu Dei, Psalm. 116. v. 15. esse collectionem ad patres, Genes. 25. v. 8. pacificum abitum, Genes. 15. v. 15. dimissionem in pace, Lucæ 2. v. 29. requiem in cubiculo, Jesh. 57. v. 2. quietem à laboribus, Apoc. 14. v. 13. somnum, Matth. 9. v. 24. depositionem tabernaculi, 2. Petr. 1. v. 14. emigrationem ex hospitio corporis, 2. Cor. 5. v. 2. portum denique quietis: januam vitæ, portam gloriæ Dei. Præferat Christo mortalem suam vitam, quicumque voluerit, experietur tempore judicii se plus perdidisse, quam servavit.

2. Audiamus etiam, quid Christus illis dicat, qui opes & fortunas hujus seculi ipsi præferunt. Recte Matth. 13. v. 22. divitiæ spinis conferuntur. Ut enim spinæ improvide atrectantes non tantum lacerant & mordent, sed etiam semel irretitos & implicitos sic detinent, ut difficulter ex iis eluctari possint: ita divitiarum eadem est conditio. Nam qui iis acquirendis student, illis multi labores curæ & pericula sunt subeunda, & Satanas illis tendit tentationum laqueos, ut fidei in Deum, caritatis autem & justitiæ erga proximum immemores, ad interitum trahat. 1. Tim. 6. v. 9. Ubi verò ingentes opes sunt acquisitæ, tum filii hujus seculi cor apponunt, iisque sic adhærent, ut in opum abundantia omnem felicitatem consistere sibi persuadeant. Unde quando de religione agitur, aut leviter cum ea ludunt, aut trepidè quidvis simulant & dissimulant: aut aperte eam abnegant. His Christus hic dicit: *Quid prodest homini,*

homini, si totum mundum lucratus fuerit, anime vero sue jacturam fecerit? Ostendit, quam inutile sit lucrum temporalium bonorum cum perditione animæ conjunctum, & quam irreparabile damnum sit perditio animæ. Est autem sententia sumpta ex vulgi etiam approbatione. Quasi diceret: Nemo adeo stultus est, ut velit cum jactura vitæ hujus temporalis, si possibile esset, universum mundum lucrificare. Etenim vita perditæ nullus usus est omnium totius mundi rerum. Siquidem in hunc mundum nudi ingredimur: nudi ex hoc mundo rursus abimus, nec quicquam nobiscum efferimus. Job. 1. v. 21. 1. Tim. 6. v. 7. Adhæc vitam hanc corporalem semel perditam, nulla re homo recuperare potest. Quanto plus ergo stultus est, qui cum æterna jactura post hanc vitam, paucillum bonorum temporalium corradit & retinet: cum possessio rerum in hoc seculo obtentorum nihil ipsi post hoc seculum prodesse, neque animam semel perditam terrenis bonis redimere possit? Ideo addit: *Aut quid dabit homo, cujus permutatione animam suam redimat?* ἄλλαγμα est vocabulum, quo Græci in contractibus utuntur. Ruth. 4. 7. cessio & exhibitio calceamenti, quo Booz à propinquo Ruthæ jus cognationis & emptionis agri Eliamelechi coram senioribus tradebatur, ἀτάλλαγμα dicitur. 1. Reg. 21. v. 2. cum Achab rex Nabothi vineam emere vellet, offert ei δέγμερον ἀτάλλαγμα ἀπὸ τῆς ἀμπελώου, argenti pretium, quantum vinea digna erat. Psalm. 44. v. 13. conqueruntur pii, quod Deus ipsos vendiderit gentibus, non tamen ἐν τοῖς ἀλλάγμασι, eo quod non crebra licitatione pretium eorum auxerit. Ex quibus locis usus vocabuli patet. Vult ergo Christus dicere, totius mundi opes non conducere nec sufficere ad redimendam unicam animulam perditam. Equidem omnes animæ hominum redemptæ sunt pretio sanguinis Christi. Hoc enim est ἀντίλυτρον & pretium redemptionis. Matt. 20. 28. Sed quando homo ex hac mortali vita discedit, neque prius ἀντίλυτρον illud pretiosi sanguinis Christi per fidem sibi applicavit, tum animæ ipsius nulla relinquitur hostia pro peccatis. Hebr. 10. v. 26. Hinc etiam Psalm. 49. v. 7. docet, vanum esse, si quis confidat in opibus suis, & in multitudine divitiarum gloriatur. Siquidem frater redimendo non redimat quenquam, nec det Deo placationem suam, aut pretium redemptionis animæ suæ: omittet illud in æternum. Notent hoc Papicolæ, qui suis hominibus pollicentur, quod per sacra pro defunctis expiare possint peccata mortuorum. Quibus inanibus pollicitationibus multi confidentiores redditi, tum aliis vitiis securi indulgent, tum opes per fas per nefas, tam usuris quam rapinis congerunt, sperantes hæc peccata per sacrificulos expiari posse, si hæredes sufficientem pecuniam ipsis annumerent. Sed Dominus disertè hic negat, quicquam dari posse pro animarum compensatione. Sunt enim illæ eo loco, ut vel sacris juvari non possint, vel iis non opus habeant. Sicut etiam in Veteri Testamento multa quidem sacrificiorum genera, pro diversis casibus fuerunt instituta: pro defunctis tamen nullum institutum legimus. Et rectè Catholica Ecclesia in Symbolo Apostolico canit: Die ganze Christenheit auf Erden hält in einem Sinn gar eben / hier all Sünd verge-

ben werden. In hoc seculo est tempus gratiæ, quo peccata remittuntur: in altero est tempus justitiæ, quo quisque pro meritis suis est vel præmia vel pœnas accepturus. Nugivendos itaque istos sacrificulos fugiamus.

3. Superest tertium agmen eorum, qui pudore, non rustico & agresti, sed impio & præpostero suffusi, Christum & ejus Evangelium sive sermones confiteri erubescunt. Et sane honestis animis grave accidit, quando ob Evangelii professionem à licitoribus capiuntur, in vincula conjiciuntur, carceribus includuntur, ad tribunalia judicium rapiuntur, tanquam malefici accusantur, damnantur, ceu catharmata ex patria ejiciuntur, bonis omnibus spoliuntur, vestibus exluuntur, carnificum manibus tractantur, nudi rogis imponuntur, & tanquam piacula è medio tolluntur. Hæc vere talia ac tanta sunt, ut bonum & honestum virum eorum non possit non pudere. At verò pudeat eum tum, si patiat ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Sed si patiat ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. 1. Petr. 4. v. 15. Christus enim hic proficitur, quod, quos puduerit sui suorumque sermonum in hoc seculo, illorum vicissim pudere velit in sua gloria. Vice versa autem, qui contempto hominum rubore ipsum honorificè confessi fuerint: quod illis in gloria patris coram angelis etiam honorare velit.

Notanda autem est ἀντίθεσις inter præsens seculum & futuram gloriam. Præsentis seculi homines mundanos vocat generationem adulteram & peccatricem, ob ingenitam naturæ corruptionem, quæ factum, ut qui ad Dei imaginem conditi fuerant, ut Dei filii essent, à dignitate sua exciderint, & degeneres facti, ceu adulteri idolis & creaturis loco veri Dei adhereant, sicque coram Deo sint peccatores, donec per Christum regenerentur & reconcilientur. Hi non sunt digni, si maxime Christi & Evangelii ipsius sectatores irrideant aut ignominia afficiant, ut fidelis Christi servus propterea erubescat. Nam ab illaudatis rideri, magis honorificum est, quam pudendum. Si quis verò horum irrisione & fannis se absterri patiatur ab ingenua Christi confessione & sequela, illius & filium hominis pudebit, hoc est dedignabitur eum inter suos connumerare, quasi pudore afficiendus, si talem inter suos agnosceret. Addit autem, ubi venerit in gloria sua, quam gloriam non tantum opponit turpi generationi adulteræ, sed etiam humilitati primi sui adventus, ob quam multi in hac vita erubescunt ipsum confiteri, vel etiam sequi. Vult ergo Christus dicere. Quicumque me jam à perditio mundo abjectum habitum erubescit: ejus me vicissim pudebit, quando gloriosus toti mundo apparuero. Quem hodie pudet me sequi coram peccatoribus, quorum judicium contempni & irrideri debet: hunc ego cras negligam coram sanctis angelis, apud quos pudefieri extremæ est ignominia & infelicitatis. Et denique, qui, ne perdat honorem & existimationem suam apud peccatores, veretur me in humilitate mea sequi: hic æternum honorem perdet in mea gloria, coram sanctis angelis. Itaque quisque vident, à quibus malit honorari, an à generatione prava, adultera & peccatrice, an à Christo glorioso & beatis angelis. Hoc

Hoc dictum Christi etiam illi observare debebant, quibus professio Theologica, qua *Christum* et *ipse sermones* confitemur & alii prædicamus, ita sordet, ut quidvis potius fieri malint, quam verbi ministri esse. Olim & adhuc hodie sub Papatu, illustres & nobiles familiæ honorificum sibi esse existimant, si ex suis familiis aliquos haberent, quos Ecclesiasticis officiis manciparent. Et licet plerique eorum tantum Ecclesiasticis bonis, opibus & dignitatibus quarum participes se fieri posse sperant, inhiarint: multi tamen simplici studio id fecerunt, non tantum honorificum, sed etiam proficuum sibi futurum existimantes, si ex cognatis haberent, qui tanquam servi Dei ipsorum salutem Deo impensius commendarent. Hodie verò homines nostri sæculi, *Christi ejusque sermonum* ita pudet, ut si quis ex nobilitate aut generosiore familia oriundus, tacito quodam Spiritus S. instinctu ad Theologiæ studium feratur, eum reliqui cognati quasi pro degere & alastore habeant. Sic quicumque in re lauta sunt, illos pudet, si ipsorum filii verbi ministri, seu (ut vulgo vocant) Pfaffi fiant. Malunt eos habere Jurisperitos & Medicos, vel etiam Mercatores & milites, sperantes plus honoris ab his, quam à Christi servis ad ipsos redundaturum. Quid? quod ipsos etiam Theologorum filios ferè pudet, ut eandem professionem cum patribus suis subeant. Unde plerique, si qualicunq; ingenio præ aliis se præditos sentiant, mox animum potius ad aliud studium, ex quo divites, opulenti, & in dignitate aut eminentia constituti evadere queant, quam ad Theologiam applicant. Hi non cum Moyse improprium Christi, majores divitias aestimant thesauris mundi. Heb. 1. v. 26. Ratio hujus est: quia stulti & insensati non respiciunt in remunerationem, quam habituri sunt in altera vita. Quam honorificam futuram putabimus Reverendo Principi ac Domino, Domino Georg. Principi Anhaltinorum illustrissimo (quem Christi & Evangelii ipsius non puduit, quo minus sermones Evangelicos publice coram populo haberet ex suggestu, imò etiam Evangelium publicis scriptis defendit) quando *Christus veniens in gloria*, publice coram angelis & sanctis omnibus ipsius pietatem, fidem, diligentiam, industriam, operas & labores pro Evangelio exantlatos deprædicabit, & in cœlestis vitæ consortium ipsum suscipiet? Ibi tum fulgebit quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12. v. 3. Hæc juniores moveant, ne ipsos pudeat *Christi ejusque sermonum*. Si enim tempore pacis professionem doctrinæ Christi subterfugiant: quid facturi sunt tempore persecutionum? Hæc non eo dico: quasi velim omnes ex professo fieri Theologiæ studiosos. Scio enim apud multos legitimas & honestas subesse rationes, ob quas aliud studii genus eligant. Sed tantum loquor de illis, qui ceu delicati martyres à verbi ministerio propterea abhorrent, quia ab *adultera & peccatrice generatione* ridentur, vel non satis ab iis honorantur. Hi in novissimo demunt die experientur, quid fecerint.

Atqui quia Christus præcivit, multos fore, qui nunquam talem novissimum diem aut judicium extremum futurum existimaturi sint. Sicut Petrus etiam ejusmodi Empæctas & illusores novissimis temporibus plurimos, futuros prædicit, 2.

Petr. 3. v. 3. Ideò magna cum gravitate dicit: *Futurum est enim, ut filius hominis veniat in gloria Patris sui, cum angelis suis.* Filium hominis se nominat, ob vilem illam & contemptibilem speciem, in qua tum conversabantur, ob quam multi putabant, ipsum non dignum esse, ob quem de opibus & honoribus, ne dum de vita periclitarentur. Hunc autem hominis filium in gloria Patris cœlestis venturum asserit, vel ut præmiserat, in gloria sua & Patris sui. Ut innuat, se, licet jam in servi forma adstet: ejusdem tamen virtutis, majestatis & potentia esse cum Patre. Addit denique, *cum angelis suis*, quorum multæ myriades ipsi ministrant, teste Daniele cap. 7. v. 10. & Apoc. 5. v. 12. De hoc glorioso Jesu Christi adventu cum angelis virtutis ejus agit etiam Paulus 2. Thessal. 1. v. 7. & Henoch quoque septimus ab Adam, de eo propheta vit, teste Juda in Epist. sua v. 14. Quid autem faciet filius hominis in glorioso suo illo adventu? *Tunc reddet unicuique juxta facta ipsius.* His quidem, qui post habitis hujus mundi honoribus & fortunis, adeoque etiam vita sua in discrimen adducta, Christum & ipsius Evangelium constanter ac sincere confessi sunt, reddet (quanquam ex gratia) gloriam ineffabilem & vitam æternam. Illis verò, qui vitam hanc caducam, emolumenta hujus mundi, & honorem peccatricis generationis Christo ejusque Evangelio prætulere, solvet mercedem impietati ipsorum debitam, sempiternum nimirum exitium & dedecus.

Hic vero Pontificii se palmarium reperisse opinantur, quo probare possint, nos non ex gratia, per fidem in Christum, vitam æternam accipere, sed bonis operibus eam promereri debere. Hinc coacervant locos Scripturæ, in quibus eadem hæc verba leguntur, ut pote Psal. 62. v. ult. Rom. 2. v. 6. 1. Cor. 3. v. 8. 2. Cor. 5. v. 18. In quibus omnibus merces nobis secundum opera adscribitur. At non attendunt inepti, se committere fallaciam secundum plures interrogationes. Alia enim quaestio est: quare nos perditii mortales consequamur vitam æternam? Alia: an bona opera sua quoque habeant præmia? Et rursus alia: an Deus in novissimo die secundum fidem, an secundum opera sit pronuntiaturus? Scriptura autem nos distinctè de singulis hæc quaestionibus erudit. 1. Quando quaeritur, quomodo nos miseri mortales consequamur vitam æternam? Tum Scriptura eam simpliciter operibus etiam renatorum adimit, & soli misericordiæ DEI propter meritum Christi tribuit. Testimonia manifesta sunt, Roman. 4. v. 5. & 6. Galat. 5. v. 4. Ephes. 2. v. 8. 2. Timoth. 1. v. 9. Titum 3. v. 5. 1. Johan. 2. v. 2. Quid multis? Roman. 6. vers. ult. Donum DEI vita æterna est per Christum Jesum Dominum nostrum. Hæc ad eò clara sunt, ut prodigio simile sit, quod Pontificii in tanta luce Evangelii ista neque videre neque audire volunt. Sicuti nec blasphemiam caret in sanguinem CHRISTI, quod Jesuitæ audent statuere, opera justorum esse expiationes peccatorum, seu propitiationes pro peccatis admissis. Ubi manet dictum Christi? Filius hominis dabit animam suam pretium redemptionis pro omnibus. Matth. 20. v. 28. Ubi dictum Johannis? Sanguis JESU Christi filii DEI emundat nos ab OMNI peccato. 1. Johan. 1. v. 7. Et Paulus Rom. 8. v. 33. 11

v. 33. in quaestione. Quis accusabit? quis condemnabit? non interponit merita suorum operum, sed Christum, qui mortuus sit: imò qui & resuscitatus sit, & intercedat pro nobis. Et quid frequentius legitur in Joanne, quam hæc sententia? quod Deus miserit filium suum unigenitum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vita itaque æterna nullo modo nostris operibus, sed merito Servatoris nostri Jesu Christi unico, fide apprehenso, adscribenda est. 2. Quando verò de præmiis bonorum operum agitur tum docet Scriptura & nos ex eà, omnino faciendæ esse bona opera, quia habent sua præmia. Præmium autem illud non est ipsa vita æterna: sed ut Christus loquitur: in cœlis erit merces vestra copiosa Matth. 5. v. 12. Et Paulus 1. Tim. 4. v. 8. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ. Hoc tamen Scriptura ita explicat, ut præmia hæc dentur non ratione meriti, sed ex gratuita dignatione paternæ erga filios, quos Deus gratis propter Christum adoptavit, clementiæ. Rationes hujus sunt. 1. Quia ex nobis ipsis tanquam ex nobis ipsis non sumus idonei, aliquid boni operandi. 2. Cor. 3. v. 5. Sed Deus operatur in nobis & velle & perficere, si quæ grata ipsi fieri debeant. Philip. 2. v. 23. Si ergò à Deo accepimus, quare gloriaremur, quasi non accepissemus? 1. Cor. 4. v. 7. Non ergò est meritum nostrum, sed Dei misericordia, qui sua dona in nobis coronat. 2. Propter legem peccati magna in nobis est imperfectio. Rom. 7. v. 18. ita ut etiam universæ justitiæ nostræ sint quasi pannus menstruata. Jesaia 64. v. 6. & quæcunque fecimus, sint pro detrimento & stercore habenda, respectu eminentis scientiæ Christi, Philip. 3. v. 8. Quis verò tam absurdus erit ut fædo panno & stercore vitam æternam ex merito deberi affirmare velit? 3. Christus Luca 17. v. 7. longa parabola ostendit, Dominum ex debito non esse obligatum, ut gratiam habeat servo, quia fecerit, quæ ipsi imperata fuerant. Et addit: Sic & vos cum omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus. 4. Et quid multis opus? D. Paulus disertè affirmat, omnes hujus seculi passiones non esse condignas, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; Rom. 8. v. 18.

3. Num verò judicium illud extremum instituetur secundum fidem, an secundum opera? Respond. Quoad Christum, qui est καρδιογνωστὴς, & qui judicabit tum occulta hominum, instituetur judicium secundum Evangelium, quod fidem requirit. Rom. 2. v. 16. Qui credit in Christum, non judicatur, sed habet vitam æternam: qui autem non credit, jam judicatus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Johan. 3. v. 18. & 36. Hic enim est ille Dominus, de quo Jere. dicit, 5. v. 3. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Quia tamen judicium hoc instituetur coram hominibus, qui occultam fidem cordis videre nequeunt, ideò iudex ex fructibus de arbore pronuntiabit. Hinc etiam Matth. 25. v. 35. Christus ipse in processu novissimi iudicii non fidem, sed opera misericordiæ allegat, juxta quæ sententiam pronuntiaturus sit. Interim tamen, quemadmodum fructus arborem nec faciunt nec tollunt, sed tantum de ejus sive bonitate sive pravitate testantur: ita quoque ope-

ra non operantur fidem, quæ vitam æternam in Christo Jesu apprehendit, sed tantum de ea testantur. Ubicumque enim vera fides est, ibi illa efficax est per caritatem. Galat. 5. v. 6. Hæc cum ita sint, veri Christiani hanc sententiam, *filii hominis reddet unicuique secundum opus suum*, quam diligentissimè notare, & *ἀρχαίως* Evangelicæ studio si esse debent, quo olim in iudicio subsistere queant. Neque enim nuda confessio fidei, aut mortua fides, quæ est æs tinniens & cymbalum sonans, est illa *ἀρχαίως*, quæ laudem iudicis merebitur. Sed audient illi Christum ibi dicentem: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlo est. Vos autem nunquam novi: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Matth. 7. v. 21. Vera autem *ἀρχαίως* Evangelica, juxta quam æternæ vitæ participationem sperare quis potest, hæc est, quam in hoc capite descriptam hæcenus audivimus. Ut nimirum primum pura & sincera fide Christum amplectamur, verum Deum & hominem, & unicum totius humani generis Redemptorem. Postea nos & nostros affectus abnegantes, & patienter quotidie crucem nostram tollescentes, constanter ipsum sequamur, donec ex hac miseriarum valle liberati ad ipsum, in beatam gloriam transferamur. Si hæc sit nostra *ἀρχαίως* in hoc seculo, tum de bonitate sententiæ in novissimo die nihil dubitemus.

Sub finem Servator, majoris confirmationis suæ doctrinæ ergò, & ut Apostolos tanto magis contra imminens crucis scandalum communitet, pollicetur, se certum specimen & experimentum exhibiturum, quo discant, se certo in cœlis regnaturum, & olim iudicem venturum, qui suos remuneretur, incredulos autem & contumaces puniat. Proponit autem hanc pollicitationem magna asseveratione. *Amen dico vobis* (vel ut Lucas habet, *λέγω ὑμῖν ἀληθῶς, dico vobis vere*) *sunt quidam inter eos, qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei venisse cum virtute.* Quatuor potissimum hæc sententia sortita est interpretationes. 1. Aliqui sunt, qui hanc sententiam accommodant ad Joannem Apostolum & Evangelistam, quasi Christus innuat, ipsum non moriturum esse, ad novissimum usque diem. Unde etiam Lombardica historia fingit, ipsum non mortuum, sed vivum sepulcrum suum ingressum esse, quod apertum fuerit juxta altare illius templi, quod in honorem ipsius ædificatum fuerat. Sed fabulosam hanc sententiam Joannes ipse refutabit. Joan. 21. v. 23. Ad hæc ineptum est illud, quod Christo sin plurali numero dixit, de *quibusdam inter eos, qui ibi stabant*, in singulari numero ad unicum Joannem referre. 2. D. Gregorius, & qui eum sequuntur, intelligit hanc sententiam dictam esse de regno Christi, quo ipse cepit per Evangelii prædicationem gloriosus advenire in toto terrarum orbe, & ubique cum mira virtute agnoscere & coli tanquam mundi Salvator. Hæc sententia non inepta est nec impia. Nam circa vicissimum à passione Christi annum Paulus ad Romanos testatus est, se unum omnia Evangelio Christi replevisse in circuitu à Jerusalem ad Illyricum usque, c. 16. v. 19. Et ad Col. 1. v. 6. scribit, Evangelium fructificare & crescere in universo modo. Cumque

quæ dubium sit nullum, aliquos Apostolorum, utpote Petrum, Johannem, Jacobum minorem, & quosdam reliquorum *ibi stantium* tum temporis adhuc vixisse, non ineptè hæc sententia eo accommodari potest. 1. Alii hoc Christi vaticinium interpretantur, de illa gloria, qua ab Apostolis suis & aliis quibusdam fidelibus videndus esset post suam resurrectionem, & in ipsa ascensione. Tunc enim devicta morte ingressus erat in gloriam suam, & apparebat discipulis suis, Spirituali, impassibili, & glorioso suo corpore, quo & per clausas januas penetrabat, & quoties voluit disparebat, Joh. 20. v. 19. & Luc. 24. v. 31. Tunc bibit cum discipulis vinum novum in regno Patris sui, Matth. 26. v. 29. & ipse testatus est, sibi jam datam omnem potestatem in cælo & in terra, Matth. 28. v. 18. Hic certè quidam ex iis, qui hic steterunt, viderunt filium hominis venientem in regno suo. Quamquam Christus, licet tum ingressus fuerit in gloriam, Apostolis tamen clarificationem non ostendit. 4. Pleriq; igitur

omnes, & quidem rectissimè intelligunt hæc verba de sequenti gloriosa Transformatione & Clarificatione Domini in monte. Nam tres Evangelistæ immediatè eam subjungunt, tanquam complementum ejus, quod Dominus hoc in loco promissit. Quod nimirum *quidam* sint futuri, utpote Petrus, Jacobus & Joannes, qui *filium hominis viderint in regno suo*, hoc est, in illa gloria, in qua venturus est judicare mundum, & cum sanctis in æternum regnare. Certè hoc viderunt tres illi Apostoli, & simul virtutes venturi seculi ita gustaverunt, ut in monte manere maluissent: agnoverunt denique, se non arte compositas fabulas, sed cœlestem veritatem secutos esse, dum Jesu Christi Messia virtutem & adventum susceperunt, siquidem *ἐπισημ* fuerint, & oculis suis aspexerint ipsius majestatem, 2. Petr. 1. v. 16. O bone Jesu, dulcissimum cordis nostri solatium & desiderium, largire, ut nos divina hujus tuæ majestatis olim speculatores simus. Amen.

CAPUT LXXXVII.

CONTINENS HISTORIAM, QVA CHRISTUS CORAM TRIBUS SUIS DISCIPULIS TRANSFIGURATUR, MATTH. 17. v. 1. MARC. 9. v. 1. & LUC. 9. v. 28.

RATIO ORDINIS.

Hanc historiam immediatè præcedentem Christi concionem sequi, non tantum Lucas innuit, qui *post hæc sermones* illam accidisse testatur: sed etiam reliqui duo Evangelistæ, qui continuo ordine illi hanc subjiciunt. Et observatio ordinis multum lucis toti historiae addit. Monstrat enim & causam & usum glorificationis Christi. Etenim Apostoli prædicatione de passione Christi perturbati & offensi erant. Si quidem nondum intelligebant neque assequerantur, quomodo passione incorruptio, & quomodo morte vita restitui possit. Idem enim ratio in Apostolis tum judicabat, quod postea Pontifices vo-

ciferantur: quomodo Servator mundi esse potest, qui seipsum non potest servare à morte? qui sputa, flagra, crucem non potest à se amoliri? Mox igitur post prædictionem passionis clarificatione ostendit, in illa sua carne, quæ passioni & morti exponetur, gloriam, vitam & potentiam divinam, inhabitare corporaliter. Patitur igitur, non quod passionem amoliri non possit, sed ut juxta Moyse & Elia, hoc est, Legis & Prophetarum vaticinia Patri præster obedientiam, & ita mundum redimat à morte. Quod ideo fit, quia in illa carne, quæ laceratur, vita inhabitat corporaliter. Ex hac sola ordinis observatione usus hujus historiae rectissimè intelligi potest.

HISTORIA TRANSFORMATIONIS CHRISTI IN MONTE.

MATTH. 17.

1. Καὶ μετ' ἡμέρας ἕξ ἀναλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτῶν, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρη ὑψηλὸν καὶ ἰδιαν.
2. Καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, καὶ ἔλαμψε ὡς σάπυρ αὐτῶν ὡς ὁ ἥλιος, καὶ τῆ ἰμάτιον αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς.
3. Καὶ ἰδοὺ ὠφθησαν αὐτοῖς Μωϋσὴς καὶ Ἠλίας, μετ' αὐτῶν συλλαλοῦντες.
4. Ἀπεβίβας ὁ Πέτρος, εἶπε τῷ Ἰησοῦ· κύριε, καλὸν ἔστιν ἡμῶν ὡδε εἶναι. εἰ θέλεις, ποιήσωμεν ὡδε τρεῖς σκηνάς, σοὶ μίαν, καὶ Μωϋσῆ μίαν, καὶ Ἠλίαν ἑμίαν.
5. Ἐπ' αὐτῶν λαλοῦντων, ἰδοὺ νεφέλη φαιατὴν ἐπέσκιασεν αὐτούς.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum ac Jacobum & Johannem fratrem ejus, & subducit illos in montem excelsum seorsim.
2. Transformatusq; est coram illis, & splenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem illius facta sunt candida sicut lumen.
3. Et ecce conspecti sunt illis Moyses & Helias cum illo colloquentes.
4. Respondens autem Petrus, dixit Jesu: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciemus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moyse unum, & Helia unum.
5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.